Cod. Ottob. lat. 1345. sæc. XV. Tartalmazza Tibullust és a végén más kéztől Janus Pannonius Elegiái első könyvének első elegiáját következő czímmel: «Naidum Italicarum principi divæ Fœroniæ devotus hospes Janus Pannonius cecinit in reditu ex urbe Nonis Juniis MCCCCLVIII.»

Cod. Urb. lat. 401. sæc. XV. membr. in fol. elegantissimus. Tartalmazza Aeneas Sylvius leveleit, többek közt azokat is, melyeket Fraknói 1878-ban egy florenczi kéziratból adott ki. Fol. 109b: «Aeneas Episcopus Senensis Adolescenti docto et nobili Joanni Varadiensis Ecclesiæ Custodi S. P. D.» (Telekinél I. p. 636); aztán: «Epistola LXXVIII. Responsiva. Joannes Custos ecclesiæ Varadiensis Eneæ Episcopo Senensi S. P. D.» (v. 11 bilbitani cogitavi); most: «Epistola LXXIX. Petit opera Martialis Bilbitani, cum excusat se cur non mittat versus. Joannes custos Varradiensis ecclesie Enea episcopo Senensi S. P. dicit.» (Telekinél I. p. 638., 639. Eltérések: v. 4 thetis; v. 5 veni novi. A 6-ik sor után ugyanazon két vers, melyet fentebb a cod. Laurent. plut. LIV. cod. 19-ből adtam ki; v. 8 ne dubites); végre: «Epistola LXXX. Petit Opera Martialis Bilbitani cum excusatione. Joannes custos Varadiensis Eneæ Episcopo Senensi S. P. D.» (Telekinél I. p. 635. Eltérések: v. 1 bilbitani; v. 4 timos; v. 5 solicito).

Cod. Regin. lat. 1555. (chart. 8° sæc. XVI.); fol. 158a — fol. 164 van: «Celebratio nuptiarum Jacobi Balbi et Paulæ Barbaræ» (az ismeretes epithalamium Fr. Barbaróhoz); nevezetesebb olvasások a költemény elejéről: v. 12 quæ; v. 29 saltatibus; v. 42 collibus; v. 45 locum; v. 46 minantes; v. 84 æthera complet; v. 93 inanc; v. 152 promtius; v. 170 gente.

Azonkívül a *cod. Ottob. lat. 1183*-nak 112-ik lapján is van — a catalogus állítása szerint — Janus Pannoniusnak egy költeménye; de minthogy e kézirat Rómában való tartózkodásom ideje alatt folyton javitás alatt volt, bővebb felvilágosítást nem adhatok róla.

A *müncheni* udvari és állami könyvtárban:

Cod. lat. nr. 78. (chart. sæc. XV.) fol. 13a: «Naidum Italicarum principi divæ Florianæ (!) devotus hospes Janus Pannonius cecinit in redditu ex urbe Nonis Juniis 1458.» A főbb eltérések:

v. 3 littorei; v. 5 scevis; a 15., 16. versek vv. 13., 14. előtt állanak, de egy másik kéz, a mint látszik, a lap szélén helyre igazította a tévedést.

Cod. lat. nr. 466. sæc. XV. fol. 89. A Feroniához írt elegia.

Cod. lat. 5395. (chart. sæc. XV.) fol. 97*a*: «Carmina Jo. Pannonii in laudes Cesarum Ferrarie anno LII. IX. Jan.» (Telekinél I. p. 211; tévesen helyezte tehát Teleki II. p. 196 e költemény keletkezését 1450-be). A főbb eltérések: v. 5 s. mœsta d. (így helyesen; a kiadások: Sidera *nostra* dolent, et lividus ingemit æther); v. 6 œnodrias federice; v. 7 saltus e valibus ymis; v. 9 te liqu... te fl. (helyesen); v. 11 que experias laudunt; v. 19 transederet; v. 24 prophanis; v. 26 hec secus; — cælifer; v. 30 ammissum; — Osirim; v. 31 hec profere; v. 36 prophanos; v. 38 augere; v. 44 germanam; v. 46 feroces fere iuga; v. 48 partos; v. 49 summovit ab hystro; v. 50 prepone; v. 53 regalis dilige; v. 58 augusto; v. 60 talido torret (*torret* helyesen *torquet* helyett: Et gens, quam calido torret plaga subdita cancro). A 63-ik vers hiányzik; v. 64 proarvita; v. 69 gramine; v. 73 Laomedeutem; v. 84 hoc parare paratus; v. 86 latus; — locuntur; v. 88 Hec n.; v. 90 regalis-ből (így a kiadások) regali; forma; v. 92 passoque inc.; v. 94 hec non turigere; v. 98 horas; v. 102 calculos; v. 104 optulit; v. 105 nostras demum in vicere; v. 108 sepe alia del.; v. 110 thura; v. 114 exspecto; vv. 114., 115. A «Nos perdere solus et idem Conservare potes» szavak hiányoznak; v. 117 labora; v. 125 iactare; v. 126 sua; v. 130 te police mundus; v. 131 cruentam; v. 140 macies; v. 141 preciosius; duum; v. 144 prohibent; v. 147 querca; v. 148 ac per; v. 154 suprema; v. 156 tu mille merebere quercus (a 157-ik sorban ugyanaz); v. 159 federa cedas; v. 160 után egy kiadatlan sor:

Sic gens nulla tuo renuet succumbere sceptro.

v. 161 sic eras avibus ius; v. 162 sic amica; v. 165 sic fodix; v. 166 plepade (mi arra utal, hogy *Pliade* helyett *Pleiade*-t kell írnunk); v. criminat auster et orationes; v. 175 seno; v. 177 f. nostra r.; v. 179 belliber; v. 180 taranto; v. 182 hanibalból anibal; v. 184 experium; v. 185 cimbrecus adidit; v. 187 Gottica; v. 191 puteat depl. danius; nr. 196 runantem; v. 197. heu aliud; v. 200 pedibus dumes; v. 201 desideant; v. 203 abdua; v. 204 aspice cuntasis picenas; v. 208 Adria navifragis nuper metuenda procelis; v. 209 ventis certare; 211 decutere portus;

v. 212 populania; v. 214 Insuberis veiaiunia; v. 220 milena; v. 221 caperent; v. 224 cumprendere; v. 225 almis in; v. 226 qu. vera; v. 229 temonem; v. 230 anthenas; v. 231 boreasset et; v. 283 fluctuat ac m.; v. 235 chelix; v. 236 maris; v. 238 accipere; — paulum; v. 239 resumptis; v. 241 audent; v. 244 nullum cernis; v. 246 quassis; v. 247 mutare; v. 247 után a következő kiadatlan sorok:

> Quod mea sunt passim silvestribus obsita dumis
> Rura, quod amissis squalent (!) inarata colonis,
> Quod validi perire (!) boves, Mars impius egit.

v. 248 vomis; sartula; videntes; v. 251 pasit mea gat; v. 256 et vela cr.; v. 259 Nec senis aruga viridem se cernit ephebum; v. 261 cum me intestinis; v. 263 meas temptet; v. 266 *Joris* hiányzik; v. 267 vipera forte; v. 268 me mens; v. 269 placuit superis; v. 271 audas; v. 273 fatalix Gallia gressis; v. 274 Mavoreius; v. 275 dirigat Eas macedum g. d. sarisas (a *sarisa* alak jobb mint *sarissa)*. A 275-ik sor után e kiadatlan sorok következnek:

> Divina gentes a religione remotas
> Mittite Pavonide (!); dimitte Britannia Celtas;
> In me ferte faces, in me distringite (!) ferum (!)

v. 276 nomadæ; conculor; v. 280 et nullus; m. herbis; v. 282 exaccurem; v. 286 valent en nota; v. 287 coniuret; v. 288 *viden ut* hiányzik; scevum; *minetur* helyett Teleki coniecturája *minatur;* v. 289 infelix quia; formidat (!); v. 293 Sæna; fortius; v. 294 Etruscis; v. 297 populat; v. 298 mavoris; v. 299 coruscis; v. 300 conspressos; v. 301 moderantur; v. 302 atrix; v. 303 foror; v. 305 lacrimabille; v. 306 p. spreto g.; v. 308 tespone; leteum; v. 309 conc. ideos; v. 311 recentis; v. 314 quem pr. appellemur quid sp. offendere; v. 321 ac admota; v. 324 Apulus; v. 327 porte; v. 329 ausit et michi predem; v. 331 *Quin* helyett *Est;* v. 333 placet; 335 exemptus; v. 339 tristata; v. 341 serent ianus delubra biformis; v. 342 terrebar; v. 345 Hec; 347 tunc; v. 348 horas; v. 350 vocabor; v. 351 sic phodix; v. 352 pr. sanguine M.; 356 cultor; v. 363 R. aut; v. 365 externas; celebrare gentes; v. 366 largitor pacis; v. 373 hunc. A 377-ik sor után:

Nubilla (!) pelluntur, redeunt spectacula celo
Cesaris adventus cuncta serena dedit
Jupiter ut celo, terrarum cesar in orbe
Sic solus terras hic regit ille polum.
Felix vita diu tibi sit pulcerime (!) Cesar
Et dignus celo hinc, non nisi tardus eas. Finis.

Hec carmina quidem in padua Cesari tradidit anno LII. 4. Jan. sc (!) Matheus Pandolfius. Erre Matthæus Pandolfiusnak 42 soros költeménye következik. — Az imént közlött sorok, úgy látszik, Janus Pannonius költeményének epilogusát képezik. Eredetijök megvan a Donatus-féle Vergiliuséletrajzban (Suet. rel. p. 66 Reiff.):

Nocte pluit tota: redeunt spectacula mane:
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

És az Anthologia Latina-ban (nr. 256 ed. Riese):

Nocte pluit tota, redeunt at mane serena.
Commune imperium cum Jove Cæsar, agis.

A *dresdai* királyi könyvtár D. 158 jelű ívrétű, 58 levélből álló papir-codexére legelőször Herschelnek «Johann Cesinge» czímű czikke (Serapeum XVI. 1855. p. 335., 336., 350., 351.) figyelmeztetett, melyben Janus Pannoniusnak V. Miklós pápához intézett költeményének egy része (vv. 1—34., 162—198) először van kiadva. Az egész költeményt lemásolta Fraknói Vilmos, kinek szivességéből közlöm legelőször egész terjedelmében e füzetben. A kézirat tartalma Fraknói szerint: Fol. 1*a*: Lactantii carmen de phœnice. Fol. 4*a*: Lactantii de Christi resurrectione. Fol. 6*a* «Jani Pannonii Pontificis Quinqueecclesiensis poetæ illustris carmen incipit feliciter. Mathias rex Antonio Constantino poetæ Italo salutem». És még tizenöt elegia, mely az utrechti kiadásban mind megvan. — Fol. 31*a* — fol. 34*a* az V. Miklós pápához intézett költemény. Fol. 35*a*. P. Virgilii Maronis Poetæ Mantu. Carm. (Pseudo-Virgiliana). Fol. 45. P. Ovidii in Ibida libellus. Fol. 57. Porcelinus vates Romanus Sismund. Pan(dulfus).

A *lipcsei* városi könyvtárban két Janus Pannonius codex van;

mindkettőt a Nemzeti Muzeum könyvtárának igazgatósága szives volt számomra kölcsön kérni. Rövid ismertetésöket lásd a *Magyar Könyvszemlé*-ben V p. 90. és Rob. Naumannál «Prodromus... Catalogi librorum mstorum, qui in Bibl. senatoria civitatis Lipsiensis asservantur. Grimmæ 1838.» p. 6., 7. a 11. és 12-ik szám alatt. Mindkét codex régentén Joh. Fridericus Steinbach Aurobaco-Variscus birtokában volt, mint azt a kötésen levő megjegyzés bizonyítja.

Cod. Lips. Senat. Rep. I. 98. (in quarto minori membr. sæc. XV. satis elegans). A rubricator az első üres hártyalevélre azt írta, hogy «Janus Pannonius, Sclavine gentis alumnus», a kötés hátulsó táblájára pedig «Idem *ἀποφθέγματα* Plutarchi ex græco transtulit, quod opus Matthiæ regi dedicavit.» A codex tartalma: fol. 2*a*. «Plutarchus de utilitate inimicitiarum translatus per Janum Pannonium postea Episcopum Q.» Most a dedicatio: «[J]anus Marco Aurelio Salutem» (a dedicatióban semmi eltérés a kiadások szövegétől). Erre fol. 2*b*: «Plutarchi Chæroniensis libellus ad Cornelium pulchrum, quibus modis ab inimicis iuvari possimus».

Fol. 11*b*. «Eiusdem in libellum Plutarchi de negotiositate Prohemium incipit. Janus Marco Aurelio Salutem». (Eltérések a Teleki-féle kiadástól: p. 72, 4 al. inpræsentiarum; 2 al. ascriptum vides Agellius; p. 73, 8. föl. affirmarit; 9 vinosus, mulierosus, religiosus; 4 al. malam tantum in partem accipiunt. Hos igitur nunc p. 74, 4. föl. mulierositatem ab ebrioso ebriositatem a vicioso viciositatem; 12 insipidum). A dedicatio után: «Plutarchi Chæroniensis philosophi libellus de negotiositate».— Fol. 23*b*: «Oratio Demosthenis quæ inscribitur adversus Epistolam Philippi traducta per R. d. Johannem Episcopum Quinqueecclesiarum». (Teleki II. p. 49, 7 illos-hoz megjegyzi «Hic aliquid excidit, quod apud Demosthenem sic habet: *ἀλλ᾿ ἐννοεῖσθε, ὡς ὁ μὲν ἐπιθυμεῖ δόξης· οἱ δὲ ἀσφαλείας* h. e. *sed illud considerate gloriam illum, hos securitatem desiderare*“. Kéziratunkban az egész hely így van helyesen fordítva: Nec putetis, viri Athenienses, eisdem rebus gaudere Philippum et subditos, sed cogitate ipsum gloriam affectare, illos securitatem. Ipse eam stb.) — Fol. 27*b* «Johannes Episcopus Quinqueecclesiarum Galeotto Martio Narniensi Salutem». Eltérések: p, 76, 6 iam hiányzik; 7 suggillatio; 8 al. tute ipse. Magában a fordítás szövegében: v. 15 Nyseia; v. 32 viget hæc, *cadit* illa (így helyesen). v. 35 Teleki megjegyzése szerint kiesett a kiadásokban egy vers «qui apud

Homerum sic habet: *῎Ενθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν ὁ κέρδιστος γένετ᾽ ἀνδρῶν* et verti posset hoc modo: Sisyphus hic alios erat ante vaferrimus omnes». A kéziratban: Sisyphus ante alios fuit hic versutior omnis. — v. 43 Juppiter, v. 70 a kiadásokban *Huic*, mihez Teleki megjegyzi, hogy «forte leg. *Hinc*" *Hinc* van a kéziratban is, v. 72 omnis; v. 88 Dictyna; v. 104 *hanc* a kiadásokban; *haud*, Teleki javitása, a kéziratban; v. 112 nos ultro mutemus. — A szöveg a 31-ik levél versójának közepén végződik; a 32-ik levél üres.

Cod. Lips. Senat. Rep. I 80. (sæc. XV membr. in fol. min. satis elegans.) Tartalmazza Plutarchos *᾿Αποφθέγματα βασιλέων καὶ στρατηγῶν* czímű munkájának Janus Pannonius-féle forditását, mely mindeddig nem jelent meg nyomtatásban. Vajjon az *᾿Αποφθέγματα Λακωνικά* forditása is meg volt-e eredetileg ezen kéziratban, most már teljes biztossággal meg nem határozható; de valószinű, hogy nem; az *᾿Απ. β. κ. στρ.* forditásának utolsó fejezetének vége ugyanis hiányzik e kéziratban s valószinű, hogy ezen elveszett rész a kézirat utolsó foliumjára volt irva. V. ö. különben Janus Pannonius præfatióját.

A bécsi udvari könyvtárban a következő Janus Pannonius-codexek vannak: *Cod. Vindob. lat. 3274* (olim Philol. 337) chart. sæc. XV. fol. 134., 8°; ugyanaz, melyet Lambecius 1666-ban a budai könyvtárból Bécsbe vitt, és melyet Teleki II p. 331—333 leirt. A benne foglalt költeményeket a kiadásokkal szorgalmasan összevetette, a kiadatlan darabokat kinyomattatta Teleki gróf az utrechti kiadásban.

Cod. Vindob. lat. 2472 (olim Univ. 242) membr. sæc. XV. Marsilius Ficinus «Commentarius in convivium Platonis de amore» czímü művének Janus Pannoniusnak felajánlott példánya. A codex üres első hártyalapjára ugyanazon kéz, mely magában a munkában is jó sokat változtatott, talán maga Janus Pannonius, a következő epigrammot jegyezte: Janus Pannonius Quinqueecclesianus antistes de Marsilio Ficino Florentino

Nuper in Elisiis animam dum quero platonis
Marsilii Samius dixit inesse senex.

Kiadta ezen epigrammot Teleki is (I p. 561), ki aligha tartotta volna más valaki művének, ha ezen kéziratot ismerte volna és ez által meggyőződött volna arról, hogy Janus Pannonius tényleg ismerte Marsilius Ficinust.

Cod. Vindob. lat. 3509 (olim Rec. 3183) chart. sæc. XV tartalma: Fol. 46*a*. Hiohannes Episcopus Quinqueecclesianus Galeotto Marcio Narniensi Salutem. (Eltérések p. 78, 8 tum diis .'. . tum; p. 76. 6 *iam* hiányzik, 13 annotanda; tute ipse; a Homer-forditásban a fentebb közölt kiadatlan vers nem a 36-ik vers előtt, hanem eredetileg a 36-ik vers után volt irva; v. 104 hanc, v. 70 hinc; látszik tehát, hogy egy evvel rokon kézirat nyomán késziilt ezen művecske első kiadása).

Fol. 50*a*. «Plutarchi Cheroniensis libellus ad Cornelium Pulchrum quibus modis ab nunciis (a miniator a lap szélén: inimicis) iuvari possumus.»

Fol. 56*b*. «Plutarchus de utilitate inimicitiarum translatus per Janum Pannonium postea Episcopum Quinqueecclesiensie. Janus Marco Aurelio Salutem.»

Fol. 57*a*. «Eiusdem in libellum Plutarchi de negociositate prohemium incipit. [J]anus Marco Aurelio Salutem.» — Fol. 58*a*. «Plutarchi Cheroniensis philosophi libellus de negociositate.»

Janus Pannoniusnak tulajdonitják a bécsi udvari könyvtár legújabb kéziratlajstromának (1864) szerzői a *cod. Vindob. lat. 11735*-ben (chart. sæc. XVI) foglalt következő munkákat is: Cantio Joannis Pannonii contra amatores mundi (fol. 107*a*—108*b*). Illius contra huius mundi amatores hymni (fol. 108*b*—111*a*); de a ki ismeri Janus Pannoniust, aligha fogja neki tulajdonitani ezen rímes együgyüségeket.

Cod. Vindob. lat. 3204 (olim. Philol. 236, chart. sæc. XV) tartalma: «Aliquot libri epistolarum Gaii Solii Sidonii Appollinaris» és aztán fol. 147*b*—150*a* Galeotto Marzio, Janus Pannonius, és Prothasius olmüczi püspök azon levelezése, melyet legelőször az *Egyetemes Philologiai Közlöny* III-ik évfolyamában tettem közzé. Endlicher nyomán még a legújabb kéziratlajstrom szerzői is azt mondják, hogy Galeotus Martius Narniensis öt levele (Epistolæ quinque) foglaltatik e kéziratban.

Teleki II. p. 334, 345 felemlíti, hogy Janus Pannonius Eranemosának amaz egyetlen kézirata, melyet Sambucus Florenczben felfedezett, és melyből 1567-ben kiadta az említett költeményt, a bécsi udvari könyvtárban öriztetik, és hogy lapszélén Sambucus kezétől a következő megjegyzés olvasható: «Excudi fecit Sambucus Viennæ cum suis Regibus Pannoniæ 1ma Febr. 1567.» Ezen kézirat már Teleki idejében (v. ö.: Teleki I p. V.) a 3274-ik számú kézirathoz volt kötve.

Egy *mölki* kéziratról Koller tesz említést i. h. IV p. 19: «Has inter elegia VI legitur in *codice Ms. Mellicensi signato A. 13* pag. 107 cum hac inscriptione: ‚Johannis Pannonii Episcopi Quinque-ecclesiensis ex persona Serenissimi Domini Matthiæ Regis Hungariæ ad Ant. Constantium Poetam Italum responsio‘, in quam Archi-Præsul Garampius incidit, moxque mihi per literas indicavit».

Janus Pannoniusnak egy Apponyi-féle kéziratáról találtam említést Baptista Guarinusnak Bertucciohoz intezett levelének a magyar nemzeti Muzeum könyvtárában őrzött facsimiléjén, melyre A. A. (Apponyi Sándor gróf) azt jegyezte fel, hogy e levél egy az Apponyi-féle könyvtárban őrízett 15-ik századbeli florenczi kéziratból van véve, mely Janus Pannonius különböző költeményeit tartalmazza.

Janus Pannonius műveinek elveszett kéziratai közül azokon kivül, melyeket föntebb már felemlítettem, vagy melyek az első kiadások alapjául szolgáltak, vagy melyeket Sambucus után Teleki gróf Janus Pannonius elveszett műveinek jegyzékében felemlített, (II p. 234—239), a következőkről van tudomásom:

Az ismeretes humanista Jo. Al. Brassicanus «Luciani Samosatensis aliquot exquisitæ lucubrationes» czímű művében (Vienne Austriæ per Joannem Singrenium. MDXXVII) említi, hogy magánkönyvtára számára, úgy látszik a Corvina maradványaiból Pesti Gábor közvetítése által egy Janus Pannoniuskéziratot megszerzett. V. ö. fol. 15*a*: qui mos quare postea desitus et obliteratus sit. Non minus festivo quam germane (!) vero Epigrammate Janus Pannonius, idem et summus poeta et episcopatu postea in Ungaria quinque Ecclesiensi honoratus explicat. Nam id inter alia eius plus quam trecenta epigrammata manu sua descripta et a Turcorum immanitate ægre redempta, Imo nec vulgata nec aliis visa beneficio Gabrielis nostri Pannonii adulescentis et morum et litterarum iuxta præstabili consecuti sumus. Ac in bibliothecam nostram tanquam preciosum quendam unionem reposuimus. Est autem tale: Fœmina petre tuo stb. (Telekinél I. p. 485). Idem in Paulum secundum ita locutus est: Pontificis Pauli stb. (Telekinél I. p. 483 nr. 52. 53). Idem in eundem: Quum sit filia Paule (Telekinél I. p. 483 nr. 54).» Brassicanus tehát azt állítja, hogy az ő Janus Pannonius codexe, mely vagy háromszáz epigrammot tartalmazott, autograph volt, és alig fogunk ezen állítás valódiságában kételkedhetni, ha meggondoljuk, hogy Janus Pannoniusnak

görög Diodorus Siculus példánya is Brassicanus közvetitése által jutott az editor princeps, Opsopoeus kezeihez (l. Teleki II p. 322). Mi lett ezen becses kéziratból, nem tudom, de hogy voltak benne oly epigrammok is, melyek nem maradtak ránk, nem nagyon valószínű. Mindaz legalább, mit Brassicanus az említett kiadásban Janus Pannonius epigrammjaiból és ennélfogva a kérdéses autographcodexből idézett, régi kiadásokból és kéziratokból ismeretes. Így fol. 7*a*: Ita Janus Pannonius ad Paulum quendam: Carminibus stb. (Telekinél I p. 623; a 2-ik sorban Brassicanus is *sint*-et ad, Teleki a bécsi kézirattal *sunt*-ot ír); Idem in Bartholomæum vetustarum rerum immodicum amatorem: Sunt quædam stb. (Telekinél I p. 624.); Fol. 10*a*: Janus Pannonius in quendam Marcum Scriptum in te stb. (Telekinél I p. 517); fol. 16*a*: id quod Janus Pannonius feliciter expressit adversus severum quendam: Scripsisti egregium stb. (Telekinél I p. 562).

Mátyás király parancsára Várday Péter kalocsai érsek gyűjtötte össze Janus Pannonius epigrammjait, de a kézirat már 1496 előtt elveszett, mint az kitünik Várdaynak Keszthelyi Mihály esztergomi kanonokhoz intézett következő leveléből (v. ö. Teleki II p. 334), melyet említ Saxius is Onomasticon Literarium II p. 456.

Venerabili in Christo Patri Michaëli de Kesztheuly Lectori et Canonico Strigoniensi, Fratri nostro carissimo Petrus Archiepiscopus Colocensis Salutem. [1])

.... Cæterum a Reverendo Domino Waradiensi [2]) nuper inter colloquendum cum de Johanne Canonico Quinque-Ecclesiensi sermo incidisset, intelleximus Epigrammata illius, quæ Nos alias iussu Regis Matthiæ in unum collegisse meminimus, apud Paternitatem Vestram transcripta; quæ nos certe avidissimo cuperemus videre animo, cum ob illius præstantissimi Viri memoriam, tum vero quod multis verborum salibus, et rerum varietate exuberent adeo ut neminem unquam Poëtarum viderimus, vel illum Epigrammaticum Poëtam Martialem rem magis expressisse. Noster liber, quem in

[1]) «Petri de Warda... Epistolae... praefatus est Carolus Wagner. Posonii et Cassoviae. 1776.» 74., 75.

[2]) «Fuit is Dominicus ex Praepositura Albensis Ecclesiae ad Episcopatum Varadiensem evectus.» *Wagner.*

pergamenam transscribi feceramus, sub adversitatis nostræ tempore amissus est: Rogamus Paternitatem Vestram, si carere libello ipso, parvo tempore poteritis; facite ut illum habeamus, cito enim transscribi faciemus, vel si eo vos quoque interdum pro solatio indigetis, facite Vos transcribi tantum; sed emendate, et nos labore duplici transscribendi videlicet et remittendi levabitis. Valete. Ex Buda Sabbatho post Nativitatis Johannis Baptistæ, Anno Millesimo quadringentesimo nonagasimo sexto.

Végre Brodarich Istvánnak egy Janus Pannoniuscodexéről említést találtam a következő autograph-levélben, melyet a Cod. Ambros. E 30 inf. vol. VII-ből közlök: [1]

Excellentissime vir. Amice observan. Salutem ac prosperitatem. Jusseram cuidam Librario Alemanno Jordano nomine, Venecijs agenti, sexto iam circiter abhinc anno tum videlicet cum ego ex Gymnasio Patavino in patriam redirem, ut quedam opuscula Joannis illius Pannonij, pro quorum impressione et ego tunc et herus meus preterea apud te egerat, in manus tuę d. daret. Quod si factum ab illo est, rogo t. d. velit libellos ipsos ad manus Magnifici ac Reverendissimi D. Oratoris Regis nostri qui tibi presentes reddet, dare. Ne enim vir tantus perpetuo carie obsitus lateat, decrevi opuscula eius omnino in lucem emitti curare, idque auxilio ac voluntate Domini mei. In quo et ipsi D.... anco et mihi rem gratissimam tua d. faciet. Quę optime valeat. Ex Buda XVII Kal. Octobr. MDXII°.

Bonus frater ac deditissimus

Stephanus Brodarijch dd
Secretarius Revmi. D. Quinqueecclesiensis
Cancellarii Regni Hungarię.

[1]) A levél hátán: 17. Octobr. 1512. Brodariich dd Secretarius ex Buda. Clarissimo viro dno. Aldo Manucio Romano. Impressorum summo, Fratri et amico optimo.

PLUTARCHI DE DICTIS REGUM ET IMPERATORUM LIBER JANO PANNONIO INTERPRETE.[1]

Serenissimo Hungarorum Regi Mathie.

Johannes Episcopus Quinqeecclesiarum.

Lectitanti mihi, Rex Matthia, nuper apud græcum auctorem Plutarchum multa præclara, ut est homo in omnium bonarum artium disciplinis copiosus ac elegans, occurrit inter alia liber de dictis regum et imperatorum. Quem cum aliquotiens evolvissem, et pulcherrimum pariter ac utilissimum cognitu animadvertissem, demiratus equidem sum, tot doctos huius sæculi viros (de Italicis loquor) cum fere pleraque omnia eius scriptoris traduxerint, opus tam necessarium præterisse. Proinde quasi mihi reservatum, licet nec codices ad id opportunos, nec quemquam præter me ipsum haberem, quem in dubiis consulere possem, ac septennali iam intermissione græcarum litterarum et alioquin tenuem notitiam funditus amisissem, tamen convertere destinavi, existimans satius esse, volumen tam egregium quocumque modo translatum ab omnibus latinis agnosci, quam prorsus intactum inter paucos græce scientes delitescere. Cum ergo non ita multis noctibus cœptum absolvissem et subinde cogitarem, cui potissimum lucubratiunculam hanc, ut moris est, inscriberem, venit mihi continuo in mentem et melius de me meritum quam te esse neminem, cui uni omnes meas ac meorum fortunas debeo, et nulli aptius regum ac imperatorum clarissima dicta dedicari posse, quam tibi, qui idem et rex es et imperator. Rex dignitate, imperator assidua rerum bellicarum tractatione. Qua in re illud mihi commodissime contigerit, quod cum Plutarchum in interpretando quam verissime exprimere tentaverim, etiam in titulo ipsius iudicium secutus videar et exemplum. Nam quem ad modum illius editio Traiani sibi Cæsaris

[1]) Cod. Lipsiensis Bibliothecae Senatoriae. Rep. I. 80. membr. in quarto maiori saec. XV. satis elegans. — A czímet én adtam hozzá.

nomen præscripsit, ita mea translatio regem præfabitur Matthiam. Nec vero tam insolens mei æstimator sum, ut me Plutarcho philosopho gravissimo, historico fidelissimo, oratori eloquentissimo conferre ausim; at maiestatem tuam non iniuria Traiano compararim. Quia ut olim Romanum imperium iam degenerans sub eo rursus principe movit lacertos, sic nostris temporibus Christiana res publica pæne iam a perfidis hostibus prostrata, tuis sese iterum erexit auspiciis. Quod si bonorum apud te consilia maxime valuerint, si minimum ætati tuæ indulseris, si summæ omnium de te expectationi servies, et favori numinis instando successus tuos urgebis, potes adhuc esse plane Traianus. Ad quæ omnia in primis veterum virorum imitatione et excitatur animus et instruitur. Quorum plurimas ac nobilissimas sententias in hoc compendio breviter collectas cum velocissimo ingenio tuo facile perceperis, veluti regulas quasdam cotidianarum actionum habebis, et ad earum formam non modo loqueris salsius, verum etiam vives sapientius. Accipe igitur, rex inclyte, has nostræ devotionis primitias vultu sereno. Quas si tibi non ingratas fuisse senserimus, animabimur fortasse ut deinceps non iam ad te, sed potius de te scribamus. Vale Quinque ecclesiis. Idibus Octobris. 1467.

Plutarchi ad Traianum Caesarem Dicta Regum et Imperatorum. Prologus.

Artaxerxes, Persarum Rex, Maxime Imperator, Cæsar Traiane, non minus existimans regium ac perhumanum esse, parva benevole et alacriter admittere, quam magna largiri, cum prætereunti sibi operarius et vulgaris homo nihil habens aliud, sumptam ambabus e fluvio manibus aquam obtulisset, libenter accepit et risit, non dati usu, sed dantis studio gratiam mensus.

Lycurgus vero Spartæ vilissima instituit sacrificia, ut semper deos colere prompte et facile possent e rebus præsentibus. Tali quadam sententia et me tenuia tibi dona et xenia et communes de philosophia primitias offerente, una cum studio meo etiam usum suscipe monumentorum,[1] si commodi habent aliquid ad perspiciendos mores et proposita principum, magis sermonibus eorum declarari solita quam operibus. At quin et vitas continet nostra

[1]) «Si limitem habent aliquem» van a margón, mi szó szerint megfelel a görög eredetinek: εἰ ὅρον ἔχει τινά.

editio clarissimorum tam apud Romanos quam apud Græcos ducum et legislatorum ac imperatorum. Sed actionum plurimæ fortunam habent admixtam, sententiæ vero et voces inter negocia ipsa et passiones ac rerum eventus editæ tamquam in speculo pure uniuscuiusque animum præbent intuendum. Unde et Siramnes illa Persa, mirantibus nonnullis quod verbis ipsius prudentia præditis factorum successus haud responderent, verborum quidem se esse dominum respondit, factorum autem cum rege fortunam. Illic ergo virorum illustrium dicta rerum gestarum accessione cumulata ociosam audiendi exigunt diligentiam; hic dicta ipsa seperatim per se collecta, velut indicia quædam vivendi et semina nihil arbitror temporibus tuis allatura molestiæ, breviter tot dignissimorum memoria virorum cognitionem percepturo.

Capitulum primum: Dicta Persarum.

Persæ adunco præditos naso amant et pro speciosissimis [1]) habent, quia Cyrus regum apud eos dilectissimus huiusce modi forma fuerit.

Is Cyrus dicebat aliis cogi bona tradere, qui ipsi habere nolint, præsidentiam vero nemini convenire, qui non ipse sit iis quibus præsideat, melior.

Cæterum Persas volentes pro montana et aspera quam incolebant campestrem et molliculam occupare regionem, prohibuit, affirmans et stirpium germina et hominum ingenia solo assimilari.

Dareus.

Dareus, Xerxis pater, se ipsum laudans prædicabat in præliis et inter dura rerum fieri prudentior.

Tributis in subditos taxatis, primores provinciarum accersivit et percontantus est, an gravia forent. Cum respondissent satis modesta esse, dimidium pendere unum quemque imperavit.

Malum punicum miræ magnitudinis cum aperuisset, rogante quopiam quidnam habere vellet tantum, quanta esset granorum multitudo, Zopyros, inquit; erat autem vir bonus et amicus Zopyrus.

Postea vero quam ipse se cecidit Zopyrus, et tam naribus quam auribus truncus decepit Babylonios, et creditus ab eis urbem regi

[1]) *speciosissimus* a codexben.

dedidit sæpenumero dicebat Dareus, noluisse se accipere centum Babylonas, quominus Zopyrum haberet integrum.

Semiramis, cum ipsa sibi sepulcrum paravisset, inscripsit: quicumque regum pecunia indigeret, disiecto monumento quantam velit accepturum. Quod demolitus Dareus pecuniam quidem minime invenit, in alias autem litteras incidit ita loquentes: nisi vir esses improbus et pecunia inexplebilis, nequaquam mortuorum loculos sollicitares.

Cum Darei filio Xerxe de regno disceptans frater Arimenes descendebat ex Bactriana. Misit igitur ei dona et ita dicere iussit: his te honorat nunc Xerxes frater; quod si declaratus fuerit rex, omnium eris apud eum maximus. Rege mox declarato Xerxe, Arimenes quidem continuo adoravit et diadema imposuit; at Xerxes secundum illi post se tribuit locum.

Iratus Babyloniis ob defectionem et victoria potitus imperavit, arma ne ferrent, sed psallerent et tibiis canerent, ac scorta nutrirent et cauponarentur, et sinuosos gestarent amictus.

Atticas caricas esurum se negabat venum advectas, sed tunc demum cum ferentem eas terram obtinuisset.

Græcis exploratoribus intra castra deprehensis nullam noxiam intulit, sed exercitum intrepide perlustrare iussos dimisit.

Xerxis filius Artaxerxes, cognomento Longimanus eo quod alteram manum habuit longiorem, regalius esse dicebat addere quam demere. Primus etiam comitibus venationum, valentibus et volentibus indulsit feram prius ferire. Primus delinquentibus ducibus pœnam constituit pro corporis verberatione paludamenta eorum exuta pulsari, pro capitis vellicatione tiaram depositam carpi.

Satibarzanem cubicularium postulantem ab se quiddam iniquum, ubi sensit ob tria [1]) milia daricorum id agere, imperavit quæstori uti eam summam nummorum afferat, quam largitus illi, Accipe, inquit, Satibarzaue nam cum hæc tibi dedero, haud quaquam ero pauperior; si illa fecero, fiam iniustior.

Cyrus iunior Lacedæmonios ad belli societatem pellectans, aiebat, cor se habere gravius quam fratrem; plus etiam illo ebibere meri ac ferre melius. Ac illum vix inter venandum equo insidere, ubi vero terroris aliquit immineret, ne solio quidem.

[1]) «Aliter XXX» a margón; τρισμυρίους δαρεικούς van a Didotféle kiadásban.

Cohortabatur subinde ut viros ad se mitterent, pollicens peditibus quidem equos daturum, equitibus autem currus; prædia habentibus vicos, qui vicos possiderent eos urbium dominos facturum; argenti et auri non numerum fore, sed mensuram.

Huius frater Artaxerxes cognomento Memor adire volentibus non modo sui copiam abunde faciebat, verum etiam uxori legitimæ præcepit aulæa pilenti subducere, ut qui indigerent alloquerentur in via.

Cum homo pauper malum ei attulisset eximiæ magnitudinis, accepto libenter, Per Mithram, inquit, hic mihi videtur vel civitatem suæ commissam fidei amplam e pusilla fuisse redditurus.

In fuga quadam impedimentis eius direptis cum ficos aridas et panem hordeaceum edisset, Qualis inquit voluptatis ignarus eram!

Parysatis Cyri et Artaxerxis mater eum qui liberius regem allocuturus foret iubebat byssinis uti verbis.

Amici Regum.

Orontes, regis Artaxerxis gener, cum notam ex indignatione incurrisset et esset condemnatus, ait, quemadmodum supputatorum digiti modo myriadas modo unitates reddunt, itidem et regum amicos nunc quidem omnia posse, nunc vero quam minimum.

Memnon adversus Alexandrum pro Dareo rege bellum gerens, conductitium quendam multa contumeliosa et obscœna de Alexandro iactantem hasta percutiens, Ego te, inquit, alo, ut pugnes, non ut maledicas Alexandro.

Aegyptiorum: Capitulum secundum.

Aegyptiorum reges ex sua ipsorum lege iudices adiurabant, quod etiam si rex iusserit, nihil iniquum iudicabunt.

Thracum: Capitulum tertium.

Thracum rex Poltys bello Troiano cum tam Iliensium quam Græcorum legationes ad se venissent, hortatus est Paridem restituta Helena duas ab se accipere formosas mulieres.

Teres, Sitalcæ pater, aiebat, cum vacaret et in expeditione non esset, nihil se putare ab equisonibus differre.

Cotys eum qui se donaverat pardo redonavit leone. Cum autem esset natura iracundus et acerbus delinquentium inter ministeria punitor, ac fictilia sibi aliquando vasa homo peregrinus

attulisset fragilia sane et minuta, sed eleganter et abunde sculptionibus quibusdam et tornaturis elaborata, hospitem quidem remuneravit, vasa vero contrivit omnia, inquiens, Ne per iram durius castigem frangentes.

Scytharum : Capitulum quartum.

Scytharum rex Idathyscus [1]), adversus quem traiecit Dareus, svadebat Ionum tyrannis Histri ponte dissoluto abire. Qui cum id facere noluissent propter eam quam Dareo servabant fidem, mancipia eos frugi et minime fugitiva vocabat.

Anteas [2]) scribere solebat ad Philippum: Tu quidem præes Macedonibus, qui cum hominibus bellare sciunt. At ego Scythis, qui et famem et sitim contra decertare possunt.

Legatos Philippi equum defricans, rogavit, nunquid idem ageret Philippus. Quibus negantibus, Et quomodo, inquit, bellum suscipere potest contra me?

Ismeniam tibicinem optimum cum inter captivos haberet, tibia canere iussit. Admirantibus cæteris ipse deieravit equum se libentius audire hinnientem.

Scilurus octoginta maribus filiis superstitibus cum esset moriturus, manipulam telorum singulis porrigens hortabatur confringere. Frustra fatigatis omnibus ipse uno quoque telo singillatim decerpto facile contrivit omnia, docens illos, siquidem consenserint, fortes permansuros, imbecilles vero futuros, si secesserint et fuerint dissidentes.

Siculorum : Capitulum quintum.

Gelon tyrannus victos apud Himeram Carthaginienses pace facta etiam illud ascribere coegit fœderibus non immolaturos deinceps pignora Saturno.

Syracusanos frequenter educebat velut ad militiam ac plantationem, quo videlicet et ager cultura fieret melior et ipsi per ocium non ignaviores.

Pecuniam petens a civibus, ubi excitarunt tumultum, petere se dixit mutuo et bello confecto restituit.

In convivio cum circumferretur lyra, modulantibus et canentibus ex ordine cæteris, ipse equo introduci iusso agiliter et facile insiluit.

[1]) Ἰδάθυρσος a görög eredetiben. [2]) Ἀτέας a görögben.

Hieron qui secundum Gelonem tyrannide functus est, neminem aiebet liberius sese ammonentem importunum sibi esse.

Arcanum sermonem efferentes iniuriam facere censebat etiam illis ad quos efferrent; nam odio prosequimur non modo eos qui revelaverint, verum etiam qui audierint quæ nolumus.

Exprobrato sibi a quopiam fœtore animæ, incusabat uxorem, quæ id sibi nunquam indicasset; At illa, putabam, inquit, omnes itidem olere viros.

Xenophani Colophonio, cum is dixisset ægre se duos alere servulos, Homerus vero, inquit, cui tu detrahis, plures quam decies millenos alit mortuus.

Epicharmo, comœdiarum scriptori, quod is uxore sua præsente dixerat quiddam indecentius, multam indixit.

Dionysius senior, cum concionaturi litteratim deligerentur, ubi sortitus est M., dicenti cuidam Morionum verba loqueris Dionysi, Immo, inquit Monarchiam obtinebo, ac statim contione habita imperator creatus est a Syracusanis.

Cum initio tyrannidis civili tumultu obsideretur, amici quidam consulebant, uti se imperio abdicaret, nisi mallet captus interire. At ille aspiciens bovem iugulante coco repente procumbentem, Nonne, inquit, insulsum subinde est, tam brevis leti metu tantam nos dimittere potestatem?

Filium cui regnum relicturus erat cum rescisset viri ingenui mulierculam constuprasse, indignabundus rogavit, an tale aliquid de se sciret. Respondente adulescentulo, Tu nempe non habebas patrem tyrannum, subiecit ille, Nec tu habebis filium, nisi ab istius modi actibus temperaris.

Rursus ad eum introgressus et contemplatus poculorum aureorum et argenteorum vim, exclamavit, Non est in te tyrannis, qui cum tantum a me vasorum accipias, amicum tibi iis parasti neminem.

Pecunia Syracusanis imperata, cum lamentantes et deprecantes et habere negantes videret, alteram imperavit, et bis aut ter idem fecit. Ubi vero imposita maiore summa ridere eos audivit et convicia in foro ambulantes profundere, finem fieri iussit, Nam nunc sane, inquit, nihil habent, cum nos contemnunt.

Matre eius ætate provecta et nihilominus nuptum dari flagitante, ait, civitatis quidem leges violare se posse, naturæ non posse.

Alioquin improbos acerrime puniens, solis grassatoribus pa-

cebat, quo scilicet Syracusani a cœnis et commessationibus mutuis desisterent.

Extraneum quendam, cum isse remotis arbitris prolaturum assereret et edocturum, quo pacto providere posset insidiantes, iussit dicere. Ubi vero ille accessit et dixit, Da mihi talentum, ut signa insidiantium accepisse videaris, dedit, simulans se accepisse et mirari artem hominis.

Percontanti an vacaret, Nunquam inquit, id mihi contingat.

Duos adolescentes cum audisset multa contumeliosa de se ac tyrannide sua inter potandum locutos, utrumque invitavit ad cœnam. E quibus cum alterum animadverteret plurimum mero delirare, alterum rarius et cautius bibere, hunc quidem absolvit, tanquam naturali ebrietate et maledicentia debacchatum, illum autem interemit, quasi malivolum et ex proposito inimicum.

Incusantibus nonnullis, quod honore prosequitur et provehit hominem improbum ac civibus exosum, Immo vero, inquit, et volo esse aliquem qui me sit odiosior.

Corinthiorum legatis dona sua deprecantibus, propter legem quæ vetabat oratores a potentibus accipere munera, rem eos facere duram asservit, qui quod solum boni habent tyrannides, id tollerent, et docerent etiam beneficiis a tyranno affici, formidabile esse.

Audiens quendam e civibus aurum domi habere defossum imperavit, uti ad se afferret. Cum autem homo suffuratus paululum in aliam urbem transmigratione facta emisset villam, accitum ad se iussit accipere universum, eo quod uti divitiis cœpisset et rem utilem iam non faceret inutilem.

At junior Dionysius profitebatur multos se alere sophistas, non quia ipse illos miraretur, sed ut per illos admirationi esset.

Polyxenus dialecticus cum iactasset convicturum se illum, Verbis, inquit, duntaxat, at ego te rebus convinco; nam tuis omissis me et mea curas.

Amissa dominatione obiicienti cuidam, Quid tibi Plato et philosophia profuit? Ut talem, inquit, fortunae mutationem facile feram.

Interrogatus, quonam modo pater eius, cum esset pauper et privatus, Syracusanorum adeptus esset imperium, ipse habens, et tyranni filius, amiserit? Pater, inquit, meus, tum res invasit, cum odiosa esset popularis gubernatio; ego, cum invidiosa tyrannis.

De eodem ab alio requisitus: Pater, inquit, mihi tyrannidem suam reliquit, non fortunam.

Agathocles filius erat figuli. Is potitus Sicilia et rex declaratus, vasa fictilia solebat apponere aureis, et adolescentibus monstrans utraque, dicere: Talia prius faciebam; modo hæc facio per industriam et virtutem.

Urbem obsidente eo, quidam de muris convitio lacessebant virum: O figule, stipendium unde reddes militibus? At ille, placide arridens: Cum, inquit, hanc cepero. Mox vi potitus loco, venditabat captivos dicens: Si mihi iterum maledixeritis, dominos vestros interpellabo.

Ithacesiis adversum nautas eius querelam facientibus, quod impetu in insulam facto pecora quædam abegissent, Vester vero, inquit, rex ad nos ingressus non ovium modo præda acta, sed et pastore insuper obcæcato discessit.

Dion, qui Dionysium tyrannide expulit, cum audisset insidias sibi tendere Callippum, cui præ cunctis hospitibus et amicis plurimum fidebat, non sustinuit redarguere hominem, affirmans melius esse mori quam vivere, non ab hostibus modo, verum etiam ab amicis caventi.

Macedonum: Capitulum Sextum.

Archelaus, cum ab eo petisset in potatione scyphum aureum homo familiaris, sed parum probus, Euripidi puerum dare iussit. Mirante illo, Tu quidem, inquit, petere, hic autem accipere dignus est, etiam cum non petit.

Tonsore garrulo percontante qualiter eum raderet, Silentio, inquit.

In convivio, cum Euripides formosum Agathonem, sed iam pubescentem, amplexatus et deosculatus esset, amicis ait: Admirari nolite, nam formosorum formosus etiam autumnus est.

Cum Timotheus citharœdus minoribus, quam speraverat, acceptis remunerationibus, palam eum incusaret, ac forte canens articulum hunc Tu terra genitum argentum probas, signum in ipsum edidisset, succinuit ei Archelaus, Tu autem rogas.

Aqua eum cum quidam perfudisset, et ab amicis irritaretur adversus hominem, Immo vero, inquit, non me aspersit, sed illum quem esse credidit.

Philippum Alexandri patrem Theophrastus scripsit non tantum regia inter reges dignitate, sed et fortuna et moribus maximum extitisse et modestissimum.

Is beatos vocare solebat Athenienses, qui quotannis decem imperatores deligendos repererint, se annis pluribus unicum vix ducem invenisse Parmenionem.

Multis ei et præclaris successibus una simul die nunciatis, O fortuna, inquit, leve, quæso, aliquod mihi malum pro his tantis ac talibus bonis dato.

Potito Græcia cum consulerent nonnulli præsidiis urbes continendas, Malo, inquit, diu bonus, quam exiguo tempore dominus appellari.

Amicis hortantibus detractorem in exilium pellere, negavit facturum, ne circumiens inter plures maledicat Philippo.

Smicytho Nicanorem comminante, quasi semper obloquentem Philippo, ac familiaribus accersendum et puniendum esse hominem censentibus, At quin, inquit, Nicanor haud quaquam deterrimus est Macedonum; videndum ergo, ne quid in nobis causæ sit. Proinde ubi cognovit Nicanorem vehementi inopia premi et ab se negligi, imperavit ei quippiam muneris dari. Dicente rursum Smicytho mira de eo apud omnes a Nicanore concives præconia circumferre [1]; Videte, inquit, penes nos ipsos esse tam bene quam male audire.

Atheniensis populi ducibus gratiam habere profitebatur, quod obtrectando meliorem se facerent et sermone et moribus. Nam tanto magis, inquit, enitor eos dictis pariter ac factis comprobare mentientes.

Cum Athenienses, quicunque ad Chæroniam capti erant, dimisisset irredemptos, et illi insuper vestimenta ac strata repeterent et Macedonas incusarent, ridens Philippus, Nonne, inquit, videntur vobis Athenienses putare se tesseris a nobis superatos?

Partem eam corporis, quæ clavis dicitur, cum fregisset in bello et medicus inter curandum identidem aliquid flagitaret, Accipe, inquit, quantum vis, nam clavem habes.

E duobus fratribus, Amphotero et Cratero, cum videret Craterum tam ingenio, quam manu promptum, Amphoterum autem stolidum et ignavum, ait, Craterum quidem amphoteron, hoc est utrumque esse, Amphoterum vero neutrum.

Consulentes sibi crudeliter Atheniensibus abuti dicebat esse absurdos, qui suaderent hominem omnia pro gloria facientem et patientem amittere gloriæ theatrum.[2]

[1]) *circumferre* a codexben. [2]) *thearum* a codexben.

Duorum nequam causa [1]) cognita iussit alterum e Macedonia fugere, alterum sequi.

Castra metaturus in pago perpulchro, ubi accepit jumentis fœnum deesse, Qualis ergo, inquit, vita nostra est, si etiam ad asellorum commoditatem vivendum nobis est.

Castellum quoddam capere adnitenti munitissimum, postquam renunciarunt exploratores durum omnino et inexpugnabile esse, rogavit, num adeo invium foret, ut ne asinus quidem aurum vehens possit accedere.

Lasthene Olynthio cum suis querulante et indignante, quod quidam circa Philippum se proditores nuncuparent, sinistros natura et rusticos sane ait esse Macedonas, qui scapham scapham vocent.

Filium admonebat, ut cum Macedonibus quoque iocundissime conversaretur, gratia conparandæ sibi popularis potentiæ, dum liceret alio regnante ipsum comem esse.

Consulebat præterea potentes in rebus publicis sive probos sive improbos in amicitiam alliciendos, deinde his utendum illis abutendum.

Ad Philonem Thebanum, qui benefactor illi et hospes fuerat, dum obses Thebis degeret, sed nulla postmodum ab eo dona recipiebat, Ne me, inquit, invicti nomine fraudes, officiis et gratia succumbentem.

Compluribus captivis potitus auctionem faciebat, subducta tunica parum honeste residens. Tum unus productorum exclamavit: Da mihi veniam, Philippe, paternus tibi amicus sum. Percontante Philippo, Unde id, bone vir, et quomodo? Propius, inquit ille, admotus tibi edisseram. Ubi vero adductus est, Paulo, ait, inferius chlamydem dimitte, nam ista tibi sessio dedecori est. Tum Philippus, Sinite, inquit, abire hominem, quem vere ego mihi tam benivolum et amicum esse ignorabam.

Invitatus ad cœnam, cum multos sibi in itinere adiungeret, et hospitem animadverteret perturbatiorem, quoniam quæ parata erant, minime suffectura videbantur, mittens ad unum quemque amicorum internuncios, placentæ locum relinquere admonebat, quod illi credentes et opperientes parcius esitabant, et ita omnibus fuit abunde.

Hipparcho Euboensi defuncto manifeste indoluit. Cum autem dixisset quispiam, matura illum ætate mortuum; Sibi, inquit, for-

[1]) *Cavam* van a codexben.

tassis, at mihi præmatura, qui prius excessit e vita quam a me dignam amicitiæ gratiam recepisset.

Cum intellexisset succensere sibi Alexandrum, quod liberos ex pluribus procrearet uxoribus, Tu ergo, inquit, multos habens regni æmulos esto bonus et strenuus, ne videare mea opera principatum adeptus, sed tua virtute.

Iubebat etiam eum audire Aristotelem ac philosophari, Quominus, ait, multa committas eiusmodi, quæ me commisisse pœnitet.

Quendam e familiaribus Antipatri cum adlegisset in ordinem iudicum, deinde sensisset mentum et caput tingere, continuo removit, dicens infidum in pilis nequaquam existimare se fide dignum in negociis.

Machætæ cuiusdam causam discutiens et subdormitans non satis animum advertebat ad ius, sed hominem condemnabat. Qui cum succlamasset appellare se, extimulatus, Ad quem? inquit. Et Machætas: Ad temetipsum, o rex, si vigilantius et attentius audieris. Tunc quidem igitur surrexit. Postea cum resipuisset, et intellexisset iniuriam Machætæ fieri, sententiam sane haud rescidit, sed quanti damnatus erat, ipse dependit.

Cum Harpalus pro cognato et familiari suo Cratete iniuriarum reo intercederet, ut is multa persoluta iudicio missus fieret, ne infamaretur, Præstat, inquit, hunc ipsum quam nos propter eum male audire.

Indignantibus amicis, quod sibilarent eum in Olympiis quamvis bene de se meritum gentes Peloponnesiacæ, Quid, inquit, si de his male meritus sim?

Cum aliquando in expeditione decubuisset diutius, tandem expergefactus, Tuto, inquit, dormiebam, nam Antipater excubabat.

Rursum dormiente eo interdiu, cum congregati ad ianuam Græci moleste id ferrent et quererentur, Ne admiremini, Parmenion inquit, si dormit nunc Philippus, quia cum vos dormiebatis, hic vigilabat.

Cantorem quendam inter cœnandum emendare cum vellet, ac loqui de ictibus musicis, cantor ait, Ne unquam tam male tibi sit, o Rex, ut melius me ista teneas.

Orto inter eum et uxorem Olympiadem ac filium dissidio, intervenit Demaratus Corinthius. A quo cum sciscitaretur Philippus, quo animo invicem Græci essent, Recte nimirum, Dema-

ratus inquit, de Græcorum tibi concordia sermo est, quicum ita se domestici habent. Assensus ille desiit irasci et reconciliatus eis est.

Anicula tenui supplicante, ut causam suam ipse cognosceret, ac sæpius interpellante, negavit vacare se, inclamavit illa: Ergo nec regna. Admiratus dictum, non hanc tantum, sed et omnes confestim auscultavit.

Alexander adhuc puer, crebris Philippi successibus minime lætabatur, sed ad æequales, qui secum educabantur, aiebat.: Mihi vero pater nil relinquet. Illis dicentibus: At quin tibi ista parat, Quid, inquit, iuvabit, si habeam multa, fecerim nihil?

Cum levis esset et velox, provocabat eum pater uti Olympia decurreret. Si quidem, inquit, reges habiturus sim adversarios.

Deducta ad eum simul quiescendi nomine ad multam vesperam puella, quæsivit, Quid ita sero? Quæ cum dixisset, Præstolabar quippe virum, ut obdormiret; acerrime increpuit pueros, quasi propemodum adulter eorum opera factus.

Adolente eo thura diis abundantius et frequenter decerpente incensum, Leonides pædagogus tum forte præsens, Tam copiose, inquit, fili, tunc adolebis, cum regionem thuriferam obtinebis. Quam ubi obtinuit, scripsit ad illum: Misi tibi talenta thuris et casiæ, ut iam erga deos parcior esse desinas, gnarus et aromata ferentem terram a nobis obtineri.

Pugnaturus pugnam ad Granicum, hortabatur Macedonas, cœnarent opipare et ferrent omnia in medium, tanquam die crastini hostilia depransuri.

Perillum quendam ex amicis dotem filiabus postulantem sumere iussit talentum quinquagies. Cum ille dixisset, satis esse decies, Tibi fortassis, inquit, accipere, at non mihi dare.

Anaxarcho philosopho dispensatorem præbere imperavit, quantacumque posceret. Cum autem dispensator dixisset poscere illum talenta centum, Facit, inquit, recte, gnarus amicum sibi esse et valentem talia largiri et volentem.

Mileti conplures statuas athletarum conspicatus, qui Olympia et Pythia vicerant, Et ubi, inquit, talia erant corpora, cum civitatem vestram barbari obsidebant?

Cum regina Cariæ, Ada, honoris causa missitaret ad eum obsonia et bellaria, per artifices et cocos abunde præparata, meliores

se habere dixit coudimentarios, ad prandia quidem iter nocturnum, ad cœnas vero parsimoniam prandiorum.

Paratis ad prælium omnibus cum quærerent duces, numquid præterea aliud? Nihil, ait, nisi radenda esse menta Macedonum. Admirato Parmenione, An nescis, inquit, nihil in pugna melius prehendi quam barbam?

Offerente ei Dareo decies milies talentum et uti secum Asiam ex æquo divideret, ac dicente Parmenione, Ego equidem, si sim Alexander, accipiam, Et ego, medius fidius, iuquit, si non sim Alexander, sed Parmenion.

Respondit autem Dareo, nec terram soles geminos, nec Asiam duos reges ferre.

Facturo in Arbelis de rerum summa periculum adversus decies centena milia hostium, adeuntes amici suggesseruut accusationem militum, tanquam in tabernaculis dictitantium et conventiones facientium, nulla se spolia in prætorium delaturos, sed privato lucro reservaturos. At ille risu edito, Felicia, inquit, nunciatis, nam virorum haud fugere, sed vincere paratorum audio sermones.

Accedentes etiam multi e militibus dicebant, Bono animo esto, rex, neu te conterreant hostes innumeri; nam ne ipsum quidem fetorem nostrum sustinebunt.

Structa iam acie conspicatus militem amento iaculi digitos insertantem, phalange extrusit velut inutilem, qui nunc primum appararetur, cum iam utendum esset armis.

Epistolam matris legens conquestus arcanos et calumnias adversus Antipatrum continentem, cum una, ut solebat, legeret Hephæstion, non prohibuit, sed perlectis litteris anulum sibi ipsi detraxit et os illius obsignavit.

In templo Hammonis cum a propheta Jovis filius esset appellatus, Nihil, iuquit, mirum; natura quippe Juppiter parens omnium est, peculiari vero adoptatione præstantissimorum.

Sagitta crus icto cum plurimi accurrissent qui eum sæpenumero deum nuncupare consveverant, exhilaratus facie, Hoc quidem, inquit, ut videtis, sanguis est,

Non sacer ille liquor divum qui corpore manat.

Commendantibus nonnullis Antipatri frugalitatem quasi austere et minime delicate viventis, Foris, inquit, Antipater albatus est, at intrinsecus plane purpureus.

Hyeme et frigore cum amicus quidam epulum ei exhiberet, foculum autem perpusillum et igniculi paululum intulisset, aut ligna aut thus iubebat inferre.

Cum Antipatrides formosam psaltriam introduxisset ad cœnam, motus aspectu in eam Alexander, sciscitatus ab Antipatride est, num forte amaret feminam; confesso illo, Quin, inquit, sceleste, statim abducis e convivio mulierem?

Pythonem ab Evio tibicine adamatum dissuaviari contendebat. Cassander cum advertisset ægre id ferentem Evium, prosiluit cum ira in Cassandrum clamitans: Itane quenquam ne amare quidem licet per vos?

Remittente eo valitudinarios et emutilatos Macedonas ad mare, demonstratus[1]) quidam est, qui se inter ægrotantes ascribi fecerat, cum langueret minime. Is cum adductus coram esset et requirenti confessus foret causatum se ob amorem Telesippæ proficiscentis ad mare, interrogavit Alexander, quemnam de Telesippa interpellare oporteret; ubi vero intellexit liberam esse, Persuadeamus ergo, inquit, o Antigene, Telesippæ, ut maneat nobiscum, nam vi cogere ingenuam non est nostrum.

Merentibus apud hostem Græcis potitus, Athenienses quidem asservari iussit in vinculis, quod victum publicitus habentes sectarentur stipendia; Thessalos item, quod terram optimam sortiti agros n n colerent; Thebanos autem dimisit, inquiens, Solis his nec urbs nec ager opera nostra relictus est.

Quendam ex Indis opinatissimum sagittarium ita ut per anulum sagittam dirigere perhiberetur, cum obtinuisset captivum, imperavit artem ostendere, deinde recusantem iratus mandavit interfici. Cum autem homo inter abducendum commemoraret ducentibus, multos se dies arcum non exercuisse ac veritum ne deerraret, audiens Alexander admiratus est et muneribus affectum dimisit, quia maluisset emori quam gloria sua indignus apparere.

Cum Taxiles unus e regibus Indicis obvius provocaret Alexandrum, uti ne præliaretur, neve bellum inferret, sed beneficia, si quidem esset inferior, acciperet, sin superior, daret, respondit de hoc ipso certandum esse, uter bene faciendo vincat.

Petram, quam inter Indos Aornum vocant, audiens ipsam quidem expugnatu difficillimam esse, verum possessorem eius ignavum, Nunc, inquit, Petra facile expugnabilis est.

[1]) Az eredetiben: ἐνεδείχθη τις, a codexben: *demiratus*.

Cæterum cum alius petram habens et ipse omnium sententia insuperabilem, sese Alexandro una cum petra dedidisset, et potentatui [1]) præesse iussit et regionem adiecit, Hic mihi, inquiens, homo sapere vidétur, qui se viro potius bono quam loco crediderit munito.

Petra capta cum amici iactitarent Herculea facta transgressum, Ego vero, inquit, vel meas gestas pariter et imperium uno Herculis verbo æque esse haud censeo.

Amicorum quosdam cum sensisset in lusu talorum haud quaquam iocari, multavit.

Inter primos amicorum et praestantissimos honorabat præ ceteris Craterum, diligebat Hephæstionem; nam Craterus, inquit, regem amat, Hephæstion Alexandrum.

Xenocrati philosopho quinquaginta missis talentis, cum is non accepisset, quia se negabat indigere, quæsivit an ne amicum quidem haberet Xenocrates, Nam mihi inquit, vix Darei opes in amicos suffecere.

Cum interrogatus ab eo post prælium Porus, Quomodo te utar, respondisset: Regale, ac rursum interrogatus, Nunquid aliud? Omnia, dixisset, in hoc ipso Regaliter insunt, admiratus et prudentiam hominis et virtutem, amplius ei quam prius obtinebat terræ adiecit.

Cognitis de se cuiuspiam conviciis, regum esse inquit, cum bene facias, male audire.

Cum moreretur, familiares intuitus ait, Grande mihi video futurum epitaphium.

Extincto autem eo Demades orator similes dixit ob regentis defectum videri Macedonum copias excæcato Cyclopi.

Ptolemæus Lagi frequentius apud amicos et cibum capiebat et somnum. Sin aliquando epulum exhiberet, illorum rebus utebatur precario sumens pocula et vestem, stragulam et mensas. Ipse autem nihil possidebat præter necessaria, sed ditare quam ditescere dicebat esse regalius.

Antigonus exigebat pecuniam intentissime. Cum vero dixisset quidam, At non talis erat Alexander, Merito, inquit, nam ille spicas Asiæ metebat, ego stipulam colligo.

Militum quosdam conspicatus in thoracibus et galeis pila ludentes, gavisus est, et duces eorum acciri iussit collaudandi gratia, quos ubi audivit potare, ducatus illorum militibus distribuit.

[1]) *Potentavi* a codex; az eredeti: καὶ τῆς δυνάμεως ἐκέλευσεν ἄρχειν.

Mirantibus cunctis, quod in senectute mitius et mansuetius ageret, Prius quippe, inquit, potentia mihi opus erat, nunc gloria et benivolentia.

Filio Philippo percontanti' pluribus præsentibus, quando castra moturi essent, Quid vereris, inquit, ne solus tubam non exaudias?

Cum dedisset operam adolescens, ut hospitaretur apud mulierem viduam, tres habentes filias forma egregia, vocato hospitiorum præposito, Quin educis, inquit, filium meum ex angustiis?

Diuturno morbo conflictatus ubi revaluit, Nihil, inquit, deterius. Summonuit nos morbus non esse insolentes utpote qui simus mortales.

Cum eum in poematis solis filium scripsisset Hermodotus, Non ita, inquit, mihi conscius est stercorariæ ollæ baiulus.

Dicente quodam omnia honesta et iusta esse regibus, Sane, inquit, barbarorum, nobis vero tantum honesta honesta et tantum iusta iusta.

Marsya fratre reo postulante causam suam agi domi, Immo, inquit, agetur in foro et omnibus audientibus nihil nos esse iniurios.

Cum aliquando hyeme in locis minime necessaria suppeditantibus metari castra coegisset, ac e militibus quidam ei maledicerent, ignari propius adesse hominem, bacillo tentorium dispungens, Ingemiscetis, inquit, nisi longius summoti nos carpseritis.

Quidam ex amicis Aristodemus, qui coco genitus putabatur, consulebat ei sumptus et largitiones diminuere. Cui ille, Tua, inquit, Aristodeme, verba perizoma olent.

Cum Athenienses servum eius honoratiorem quasi ingenuum civitate donavissent, Nollem, inquit, unum e civibus atticis a me verberari.

Adolescens e rhetoris Anaximenis disciplina cum orationem meditatam præparato in eum recitasset, discendi gratia quippiam requisivit, at ubi iuvenis obmutuit, Quid ais, inquit, nonne hæc sunt in tabellis descripta?

Rhetorem alium dicentem audiens viniferam anni horam effecisse, ut regio degraminaretur, Pergin, inquit, tanquam turba me uti?

Thrasyllo cynico drachmam ab eo petente, Istuc, inquit, non est regium [1]) præstare. Dicente illo, talentum igitur mihi da, Istud vero non est cynicum accipere.

[1]) *regum* a codexben.

Demetrium filium multis cum navibus et copiis ad liberandos mittens Græcos aiebat, gloriam e Græcia tanquam e specula in orbem terrarum facem protendere.

Antagora poeta congrum coquente ac ipso patellam quassante insistens a tergo, Putasne, inquit, Antagora, Homerum cum Agamemnonis facta caneret, congrum coctitasse? Cui Antagoras, Tu vero, ait, o rex, censes Agamemnonem, cum facta illa faceret, curiosius inquirere solitum, siquis in exercitu congrum coquat?

Cum vidisset in somnis auream messem metere Mithridatem, decrevit hominem tollere, ac Demetrio filio rem aperiens iureiurando adegit taciturum. At Demetrius seducto Mithridate ad mare inambulans hastili exaravit in littore: Fuge, Mithridate; Qui cum intellexisset, profugit in Pontum, et ibi regnans permansit.

Rhodum obsidens Demetrius deprehendit in quodam suburbano tabulam pictoris Protogenis Ialisum pingentis. Orantibus deinde per præconem Rhodiis ut tabulæ parceret, respondit potius se patris imagines quam picturam illam corrupturum.

Fœdere cum Rhodiis icto machinam penes eos reliquit et suæ magnificentiæ et illorum virtutis monumentum futuram.

Defectione facta cum Atheniensium civitatem cepisset, iam annonæ penuria laborantem, e vestigio concione advocata largitus eis frumentum est. Sed cum inter concionandum de hisce rebus fecisset barbarismum, et quidam e sedentibus verbum ita ut proferri oportebat enuncians obstrepuisset, Ergo, inquit, et ob emendationem istam alterum vobis quinquies millies do medimnum.

Autigonus secundus Demetrio patre capto cum ad se misisset ex amicis quenpiam et hortaretur, ne quicquam animum adverteret, si quid ipse scriberet compulsus a Seleuco, neve oppida manu emitteret ultro scripsit ad Seleucum, cedens ei regno universo et obsidem sese offerens, si patri Demetrio reddita foret libertas.

Navali prælio dimicaturus adversum duces Ptolemæi, cum dixisset gubernator longe plures esse hostium naves, Me vero, inquit, ipsum præsentem quantis opponis?

Urgentibus aliquando cedens hostibus negavit se fugere, sed utilitatem persequi retro sitam.

Cum adolescens forti parente progenitus, sed qui ipse non ita strenuus esse miles putabatur, paternas flagitaret pensiones, Ego

vero, inquit, o puerule, ob propriam, non ob patriam virtutem cuiusque mercedes et dona tribuo.

Cittieo Zenone mortuo, quem ex omnibus philosophis maxime fuerat admiratus, dicebat theatrum factorum suorum intercidisse.

Lysimachus in Thracia superatus a Dromochaita,[1]) cum propter sitim se et exercitum dedidisset, postquam bibit iam captivus, Dii boni, inquit, quam parvæ voluptatis gratia servum me de rege feci.

Philippidi comœdiarum scriptori, amico et familiari suo, Quidnam, ait, tecum de meis rebus communicem? Quidvis, inquit ille, præter secreta.

Antipater audita Parmenionis per Alexandrum nece, Siquidem insidiatus Alexandro, inquit, est Parmenion, cui fidendum? sin minus, quid agendum?

Cum orator Demades iam senuisset, tanquam victimæ confectæ reliquam illi esse ait, alvum duntaxat et linguam.

Antiochus tertius scripsit civitatibus, siquid illegitimum fieri per litteras mandavisset, ne parerent, tanquam ignoratione decepto.

Dianæ sacerdotem conspicatus, quæ supra modum formosa videbatur, statim movit ex Epheso, metuens, ne vel invitus cogeretur perpetrare aliquid impium.

Antiochus cognomento Hierax, hoc est accipiter, bellum gerebat super regno adversus fratrem Seleucum. Postea vero quam Seleucus a Galatis victus nusquam comparebat, sed putabatur interemptus, posita purpura Antiochus pullam vestem suscepit. Paulo post cum fratrem salvum rescisset, pro bono nuncio diis immolavit, ac subiectas sibi civitates serta ferre edixit.

Eumenes insidiis Persei existimabatur interisse. Quo rumore Pergamum delato frater eius Attalus diademate imposito et uxore illius in matrimonium ducta cœpit regnare. Cæterum ubi accepit fratrem adventare vivum, obviam processit, ut solebat, cum custodibus corporis, hastile ipse tenens. At Eumenes benigne salutato et in aurem dicto «Quam obisse cernas, ante ne propera toros», nihil aliud in omni vita nec dixit suspectum, nec fecit. Immo et moriens tam uxorem, quam regnum illi reliquit. Pro quibus Attalus nullum e se filium sustulit, cum multos procreasset, sed adhuc vivens Eumenis filio iam adulto regnum tradidit.

[1]) Δρομιχαίτου a görögben.

Pyrrhus, rex Epirotarum.

Pyrrhum filii etiam tum pueri rogitabant, cuinam relicturus regnum esset? Quibus Pyrrhus, Quicumque, inquit, vestrum acutiorem habuerit gladium.

Interrogatus, Python ne an Scaphisius [1]) tibicen foret melior, Polyperchon, inquit, imperator.

Inito adversus Romanos prælio cum bis evasisset superior, multis tamen amicis et ducibus amissis, Si etiam una, inquit, pugna Romanos vicerimus, periimus.

Cum Siciliæ adipiscendæ spe frustratus renavigaret, conversus retro ad amicos, Qualem, inquit, Romanis et Pœnis relinquimus palæstram?

Militibus aquilam eum appellantibus, Cur igitur, inquit, vestris armis tanquam alis præpetibus in sublime cesso elevari?

Cum audisset adolescentes multa in se contumeliosa per nocturnam potationem effutisse, iussit interdiu coram omnes sisti, quibus adductis, principem eorum percontatus est, an hæc de se dixissent? Tum ille: Hæc, [2]) inquit, o rex, quin plura fortassis dixissemus, si plus habuissemus vini.

Antiochus is, qui iterum in Parthos expeditionem egit, dum inter venandum feram insequitur, ab amicis et clientibus divagatus, in cortem hominum pauperum ignotus introiit, ac super cenam sermonem de rege interserens, audivit, quod alioquin frugi est, sed amicis improbis delegata rerum tractatione ipse fere nihil curat, et sæpenumero necessaria negligit ob nimium venandi studium. Tunc quidem igitur siluit, mox diluculo apparitoribus ad cortem præsto factis cum inclaruisset allata ei purpura et diademate, Ego vero, inquit, ex quo vos suscepi, heri primum vera de me audivi.

Obsidente eo Hierosolymam, cum Judæi ad maximam solennitatem septem dierum petissent inducias, non tantum has indulsit, verum et taurum inauratis cornibus et incensi nec non aromatum multitudinem ultro præparatam ad portas usque prosecutus est. Ibi tradito illorum pontificibus sacrificio in castra ipse rediit. At Judæi admiratione perculsi, peracto statim festo, eius se potestati permiserunt.

[1]) Καφίσιος az eredeti.
[2]) *hic* a codexben.

Atheniensium Capitulum VII.

Themistocles etiamnum adolescentulus inter vina et scorta volutabatur. Postea vero, quam dux Miltiades fudit ad Marathonem barbaros, haud quaquam ultra luxurians visebatur Themistocles. Quam mutationem admirantibus, Non sinit, inquit, dormire ac desidere me trophæum Miltiadis.

Interrogatus, Achillesne an Homerus esse mallet? Tu vero, inquit, utrum malles? Victorne in Olympiis, an præco esse victorum?

Xerxe ingentibus copiis in Græciam descendente, veritus Epicydem, tum populi ducem, sordidum et ignavum hominem, ne forte creatus imperator rem publicam everteret, pecunia data persvasit abstinere imperio.

Adimanto navibus confligere non audente, sed dicente ad Themistoclem Græcos exhortantem et concitantem: Themistocle, in certaminibus prorumpentes semper verberant. Certe, inquit, Adimante, at emanentes non coronant.

Cum Eurybiades bacillum sustulisset tanquam incussurus, Incute, inquit, sane, ausculta tamen.

Huic ipsi Eurybiadi frustra persuadere conatus, ut in angustiis classe decertaretur, clam barbaro nunciavit, verendum esse, ne Græci dilaberentur [1]), qua credulitate cum ille superatus esset, in loco Græcis opportuno pugna commissa, rursus ad eum misit suadens, uti quam celerrime ad Hellespontum refugeret, tanquam Græcis pontem solvere cogitantibus. Hæc agebat, ut Græcos servans illum servare videretur.

Dicente ad eum Seriphio, non sua illum virtute, sed patriæ splendore gloriam consecutum, Narras, inquit, vera. Cæterum nec ego si Seriphius [2]) sim, clarus existam, nec tu, si Atheniensis.

Formosus Antiphates cum prius amantem se Themistoclem fugeret et aversaretur, magnam deinde gloriam et potentiam nactum ultro adularetur, Adolescentule, inquit, sero quidem ambo, sed tamen sapere cœpimus.

Simonidi gratiosam aliquando contra ius sententiam postu-

[1]) A margón: «aliter: ne metueret Graecos dilabentes.» Így az eredeti is: Παραινῶν, μὴ δεδιέναι τοὺς Ἕλληνας ἀποδιδράσκοντας.

[2]) *Sephirius* a codexben.

lanti ait, nec illum poetam fore bonum, si canat præter melos, nec se magistratum frugi, si iudicet præter legem.

Filium matris delicias potentissimum Græcorum esse referebat; Græcis quippe dominari Athenienses, Atheniensibus se, sibi matrem illius, matri illum.

E duobus filiam suam coniugio petentibus cum prætulisset probum locupleti, virum se quærere dixit pecunia indigentem magis, quam pecuniam viro.

Prædium venditans pronunciare præconem iussit, quod et vicinum frugibus.

Atheniensibus in eum probra fundentibus, Quid vos, inquit, fatigatis sæpius ab eisdem commoda percipientes?

Assimilabat etiam se platanis, ad quas suffugiunt tempestate vexati, ac mox sereno reddito easdem prætereuntes vellunt et mutilant.

Eretrienses per cavillum dicebat tanquam lolliguncùlas mucronem habere, cor non habere.

Cum autem interdictum ei esset Athenis primum deinde et Græcia, ascendens ad Regem et verba facere iussus ait oratorem perquam similem esse stragulis picturatis. Nam ut aulæa, ita et hanc dispansam quidem ostendere figuras, contractam vero celare et frangere.

Petiit etiam tempus, quatenus linguam Persicam edisceret, quo scilicet per se, non per alium cum illo colloqueretur.

Cæterum multis affectus muneribus et brevi dives factus ad suos inquit: Perissemus nimirum, o pueri, nisi perissemus.

Myronides in Bœotos exercitum ductitans, denunciavit Atheniensibus egressum. Instante hora cum centuriones dicerent nondum omnes adesse, Adsunt, inquit, pugnaturi, ac iis usus strenuis fudit hostes.

Aristides justus semper solus administrabat rem publicam et societates fugiebat, tanquam ea quæ ab amicis fit potentia, erigente ad iniustitiam.

Atheniensibus ad relegationem eius incitatis, cum homo illiteratus et rusticus testulam habens ad ipsum accessisset, iubens Aristidis nomen inscribere, Nostine, inquit ille, Aristidem? Qui cum nosse quidem minime, verum succensere illi ob appellationem Iusti professus esset, silentio servato nomen testulæ inscripsit et reddidit.

Cum inimicus esset Themistocli, et emissus cum eo legatus foret, Vis, inquit, Themistocle, relinquamus inimicitias ad confinia? Quod si videbitur, rursum eas revertentes suscipiemus.

Tributis per Græciam taxatis tanto pauperior rediit, quantum in peregrinationem insumpsit.

Cum Aeschylus in Amphiaraum ita cecinisset:

Hic non videri vult, sed esse vir bonus,
Fructum profundis mente de sulcis legens,
Consulta surgunt unde sacratissima,

et carmen recitaretur, omnes in Aristidem oculos converterunt.

Pericles imperium administraturus inter induendum trabeam ad se ipsum dicebat: Adverte animum, Pericle; ingenuis imperaturus es et Græcis et Atheniensibus.

Suasit etiam Atheniensibus Aeginam quasi lippitudinem tollere Piræei.

Ad amicum quendam de falso se interpellantem testimonio, cui et iusiurandum inerat, dixit, ara tenus amicum se esse.

Moriturus ipse se beatum vocabat, eo quod nullus Atheniensium opera sua nigram vestem induisset.

Alcibiades adhuc puer prensionem in palæstra prensus est. Quam cum evadere nequiret, superantis se momordit manum; dicente illo, Mordes, ut mulieres; Nequaquam, inquit, immo ut leones.

Cum haberet canem pulcherrimum septies milies drachmarum emptum, caudam ei mutilavit, Ut hoc, inquit, de nobis Athenienses narrent, nec alioquin in me inquirant.

Factus propior ludo litteratio, postulabat volumen Iliados. Cum magister dixisset, habere se Homeri nihil, inflicto ei talitro præteriit.

Veniens ad ianuam Pericli, ubi accepit hominem haud vacare, sed cogitare quemadmodum rationem reddat Atheniensibus, Non melius, inquit, erat cogitare, quemadmodum ne reddat?

Vocatus in iudicium capitis ab Atheniensibus e Sicilia, delituit, inquiens, fatuum esse, qui in reatu quærat subterfugere, cum possit fugere.

Dicente interim quodam, Non credis causam tuam patriæ? Ego vero, inquit, ne matri quidem, ne forte imprudens atrum iniiciat calculum pro candido.

Porro ut audivit se et qui secum erant mortis damnatos, Ostendamus ergo, inquit, eis nos vivere. Ac statim ad Lacedæmonios versus Decelicum Atheniensibus excitavit bellum.

Lamachus obiurgabat centurionem quendam ob delictum; qui cum dixisset amplius se id nunquam facturum, Non licet, inquit, in bello bis delinquere.

Iphicrates, quia existimabatur coriario prognatus, erat in contemptu. Gloriam autem tunc primum sibi peperit, cum saucius hostem vivum et armatum corripiens in triremem suam transtulit.

In regione amica et sociali castra metans cum et vallum iaceret et fossam duceret diligenter, dicenti: Quid vero timemus? Pessimam, ait, vocem imperatoris esse: non expectassem.

Structa in barbaros acie vereri se dixit, ne forte ignorent, quibus rebus alios hostes exterrere solitus sit Iphicrates.

Capitis reus accusatori ait: Qualem, heus, homo, rem agis? qui suades bello premente civitatem non me consuli, sed in me.

Ad Harmodium a vetere illo Harmodio oriundum, obscuritatem ei generis obprobrantem, Mea, inquit, nobilitas a me incipit, tua in te desinit.

Oratore quodam quæritante ab eo pro contione: Quisnam tu es adeo. insolens, equesne an sagittarius, pedes an scutatus? Nihil, inquit, horum, sed omnibus his sciens imperare.

Timotheus putabatur fortunatus esse dux. Unde quidam ob invidiam eius pingebant oppida ultro in nassam dormiente ipso introeuntia. Dicebat igitur Timotheus, si tales capio arbes consopitus, quid me facturum creditis experrectum?

Quodam e ducibus audaculis cicatricem Atheniensibus ostentante, At ego, inquit, erubui, quod cum vobis imperator præessem in Samo, telum catapulta emissum propius cecidit.

Oratoribus Charetem promoventibus et dictitantibus talem esse oportere Atheniensium ducem, Non ducem, inquit Timotheus, sed eum qui stramina duci portet.

Chabrias aiebat eos optime imperare, qui maxime nossent res hostium.

Reus proditionis cum Iphicrate cum increparetur ab eodem, quod in periculo positus gymnasium viseret, et consueta hora pransitaret, Ergo, inquit, si quid aliud de nobis statuerint Athenienses,

te quidem sordentem et ieiunum, me vero pransum et perunctum trucidabunt.

Solebat etiam dicere magis metuendum esse cervorum exercitum leone duce, quam leonum copias cervo imperante.

Cum Hegesippus cognomento Crobylus, quod interpretatur cincinnus, stimularet Athenienses in Philippum, succlamavit quidam e contione: Bellum introducis! Sane, inquit, et lugubria vestimenta et publicas sepulturas, et funebres orationes, si libere vivere volumus, et non facere imperata Macedonum.

Pytheas etiamnum adolescentulus intervenit contradicturus iis, quæ de Alexandro decernabantur. Dicente quodam: Tu tam iuvenis audes loqui de talibus? At quin, inquit, Alexander, quem inter divos refertis, iunior me est.

Phocion Atheniensis a nemine unquam nec ridere conspectus est nec lacrymare. Is contione adunata dicenti cuidam, Cogitabundus es, Phocion! Recte, inquit, coniicis; nam cogito, si quid circumcidere de iis possim, quæ dicturus sum ad Athenienses.

Oraculo edito, unum esse in civitate hominem omnium sententiis adversantem, ac civibus inquiri iubentibus, quisnam is sit et clamitantibus: Phocion; se ipsum hunc esse dixit, soli quippe sibi nihil placere, quicquid multitudo agat et dicat.

Cum aliquando sententiam dicens populo collibuisset et omnes æque dicta sua videret approbantes, conversus ad amicos ait: Num perperam aliquid loquens me ipsum fefelli?

Atheniensibus ad quoddam sacrificium flagitantibus additamentum, et cæteris concedentibus, ipse aliquotiens interpellatus, Erubescerem, inquit, si vobis adderem, huic non redderem, simul ostendens fœneratorem.

Oratore Demosthene dicente, Interficient te Athenienses, si insanierint, Certe, ait, te autem si sapierint.

Cum delator Aristogiton ex legitima condemnatione vitam in vinculis finiturus esset, et obtestaretur Phocionem, uti ad se veniret, amici vero ad hominem nequam adire prohiberent, Et ubi, inquit, iocundius quisquam Aristogitonem conveniat?

Indignantibus adversum Byzantios Atheniensibus, eo quod Charetem ipsis contra Philippum cum exercitu auxilio missum in urbem non recepissent, cum dixisset Phocion, non sociis diffidentibus, sed ducibus fide indignis succensendum, creatus ipse imperator

est, et fide habita intromissus a Byzantiis coegit Philippum re infecta discedere.

Cum rex Alexander centum ei talenta dono misisset, interrogavit eos qui attulerant, quam ob rem, cum tot essent Athenienses, uni sibi ea largiretur Alexander; dicentibus illis, quia solum ipsum duceret virum bonum, Ergo, inquit, sinat me et videri et esse talem.

Postulante triremes Alexandro et populo iubente nominatim adesse Phocionem et consulere in medium, exurgens ait, Consulo igitur vobis aut prævalere armis, aut amicos esse prævalentium.

Cum rumor de morte Alexandri incidisset auctore nullo, ac oratores continuo in suggestum prosiluissent, et suaderent nullam bello fieri moram, Phocion deprecabatur opperiundum esse et rem certo explorandum. Nam si, inquit, hodie mortuus est, et cras erit et deinceps mortuus.

Sed cum Leosthenes civitatem in bellum coniiceret, videns cunctos spe pulchra ad libertatis et principatus nomen erectos, verba illius cupressis adæquabat. Nam cum sint, inquit, speciosa et excelsa, fructum non habent.

Cæterum aspirante primo labori fortuna et civitate ob felicem nuncium supplicationes agente, interrogatus, an hæc ita esse acta vellet, Acta quidem, inquit, hæc; consulta vero illa.

Macedonibus porro Atticam adortis et oram maritimam populantibus eduxit iuventutem, concurrentibus autem ad eum permultis et cohortantibus illum occupare tumulum, hic instruere aciem, Hercules, inquit, quam multos video imperatores, milites paucos! Conserto nihilominus prælio vicit et occidit præfectum Macedonum Nicionem.

Paulo post superati bello Athenienses præsidium ab Antipatro susceperunt. Menyllo autem, qui præsidio præerat, pecuniam Phocioni offerente, indignatus ait nec illum præstantiorem esse Alexandro, et causam deteriorem, uti nunc accipiat, cum tunc non acceperit.

Antipater vero dictitabat, quod, cum duos habeat Athenis amicos, nec Phocionem offerendo potuit corrumpere, nec Demadem tribuendo explere.

Petente Antipatro, ut faceret quippiam contra ius, Non potes, inquit, Antipatre, et amicum habere Phociona et assentatorem.

Post excessum Antipatri restituto Athenis publico regimine, mortis damnatur in concione Phocion et amici; ac cæteri quidem flentes ducebantur, Phocioni autem silentio incedenti obvius quidam ex inimicis despuit in faciem; at ille magistratus respiciens, Quin, inquit, coercet aliquis hunc a fœditate?

Quodam eorum qui una interituri erant lamentante et indignante, Nonne gratum, inquit, tibi est, Euippe, cum Phocione mori?

Cum iam afferretur ei calix, interrogatus, si quid mandare filio vellet, Ego te, inquit, iubeo et hortor, ne quam Atheniensibus memineris iniuriam.

Pisistratus Atheniensium tyrannus, cum amicorum quidam ab ipso defecissent, et occupassent Phylen, venit ad eos ferens ipse pulvinar. Percontantibus ipsis, quid vellet, Aut abducere, inquit, vos, si persuasero, aut manere vobiscum, si non persuasero. Propterea veni paratus.

Cum accusata esset apud eum mater, quod amaret quendam adolescentulum, et clam cum ipso rem haberet pavitante ac deprecante plurimum, invitavit adolescentulum et cœnatum interrogavit, quomodo habuisset. Qui cum respondisset, Suaviter, Hæc, inquit, cotidie tibi erunt, si matri meæ morem gesseris.

Thrasybulo per amorem filiam eius obviam deosculato, cum irritaretur in hominem ab uxore, ait: Si diligentes oderimus, quid faciemus malevolentibus? ac protinus Thrasybulo virginem collocavit.

Cum quidam comessatores in uxorem eius incidissent, et multa egissent ac dixissent obscœna, mane autem Pisistratum obtestarentur et flerent, Vos quidem, inquit, imposterum date operam continentiæ. Mea vero uxor haud quaquam heri usquam processit.

Ducturum ipsum uxorem alteram liberi interrogabant, nunquid eos aliqua in re culparet. Minime, inquit, immo laudo et cupio alios mihi tales filios dari.

Demetrius Phalereus Ptolemæo regi præcipiebat, tractantes de regno et imperio libros conquirere et lectitare. Nam quæ amici regibus suggerere non audeant, ea in codicibus esse perscripta.

Lacedaemoniorum : Capitulum octavum.

Lycurgus Lacedæmonios assuefecit cives comam nutrire, dicens honestos quidem coma fieri decentiores, parum honestos vero terribiliores.

Suadenti popularem in civitate gubernationem instituere, Tu primo, inquit, in domo tua popularem constitute gubernationem.

Domos ædificare iubebat viles serra tantum et securi; nam ita pudore affectum iri homines, ne in casas tenues pocula et vestem stragulam et mensas inferant preciosas.

Pugnis et pancratio decertare prohibuit, ne vel inter lusum succumbere consuescerent.

Vetuit etiam, ut sæpius contra eosdem militarent, ne redderent pugnaciores.

Hinc est, quod postmodum Agesilao vulnerato Antalcidas ait: Præclara illum doctrinæ suæ præmia recipere a Thebanis, qui assuefecerit et docuerit bellare invitos.

Charillus rex interrogatus, cur tam paucas leges tulisset Lycurgus, respondit, eos qui paucis utantur verbis, legibus non indigere multis.

Quodam Ilotum hoc est ascripticiorum audacius sese in eum efferente, Occiderem te, edepol, inquit, nisi essem iratus.

Quærenti, comam cur nutriant, Quia, inquit, hic ornatus minimam exigit impensam.

Teleclus rex fratri civibus succensenti, quamobrem immodestius se, quam illum incesserent, Quia tu, inquit, nescis iniuriam pati.

Theopompus in urbe quadam ostentanti muros et percontanti, num pulchri et sublimes essent, Ne si mulierum quidem, inquit, sit conclave.

Archidamus bello Peloponnesiaco sociis postulantibus, ut tributa definiret, [1]) Bellum, inquit, indefinita depascitur.

Brasidas murem in caricis comprehensum, morsus ab eo, dimisit, deinde ad circumstantes ait nihil esse tam exiguum, quod se conservare non possit, modo audeat repellere invadentes.

In pugna per clypeum ictus e vulnere spiculum eduxit et eodem hostem prostravit. Interrogatus autem quemadmodum esset sauciatus, Clypei proditione, inquit.

[1]) *diffiniret* a codexben.

Postea vero quam accidit eum oppetere, dum incolentes Thraciam Græcos vindicat in libertatem, et missi Lacedæmonem legati ad matrem eius accessere, primum quidem sciscitata est, an honesto Brasidas occubuisset; laudantibus eum Thracibus et neminem fore talem asseverantibus, Rem, inquit, ignoratis, hospites; nam Brasidas quidem fuit vir præstans, sed Lacedæmon multos habet illo præstantiores.

Agis rex dicebat Lacedæmonios non inquirere, quanti essent hostes, sed ubi essent.

Apud Mantineam cum prohiberetur congredi cum hostibus numero exuperantibus, Necesse, inquit, est pugnare cum multis, qui vult imperare multis.

Cum laudarent quidam Elienses, quod Olympia egregie celebrarent, Quid mirum, inquit, si per annos quattuor die una iustitiam colunt? Sed cum illi adhuc insisterent laudibus, Quid, ait, magnum, si re pulchra pulchre utuntur iustitia?

Ad hominem nequam percontantem frequentius, quis optimus esset Spartiatarum, Tui, inquit, dissimillimus.

Altero interrogante, quanti forent Spartiatæ, Quanti, inquit, satis sunt improbos summovere.

Idem alio requirente, Multi, inquit, tibi videbuntur, si eos videris præliantes.

Lysander a Dionysio tyranno preciosa filiabus suis missa vestimenta non accepit, dicens vereri se, ne ob ea ipsa minus formosæ apparerent.

Vituperantibus se in eo, quod multa dolo ageret, Tanquam, Hercule, indigne, dicere solebat, ubi leonina pellis non pertingat, assuendam esse vulpinam.

Ad Argivos, cum illi æquiora Lacedæmoniis de agro contentioso allegare viderentur, vagina gladium eripiens, Qui hunc, inquit, tenet, is optime de finibus disserit.

Lacedæmonios videns Corinthiorum mœnia segnius aggredientes, ubi conspexit leporem e fossa prosilientem, Hosne, inquit, formidatis hostes, quorum muris per ignaviam lepores indormiunt?

Homine Megarensi in communi conventu licentius in eum invecto, Verba, inquit, tua civitate egent.

Agesilaus dicebat Asianos frugi servos esse, liberos nequam.

Qui cum in usu haberent Persarum regem Magnum vocare, Quo, inquit, ille me maior, nisi iustior et moderatior?

De fortitudine et iustitia interrogatus, utra esset melior, Nihil, inquit, fortitudine opus sit, si omnes iusti simus.

Noctu e finibus hostium repente castra moturus, ubi animadvertit dilectum puerum ex imbecillitate relinqui et flere, Durum, inquit, est misereri simul et sapere.

Cum Menecrates medicus, quem cognominabant Jovem, scripsisset ad eum epistolam: «Menecrates Juppiter Agesilao regi salutem», rescripsit «Rex Agesilaus Menecrati sanitatem».

Lacedæmoniis adversum Athenienses et eorum socios ad Corinthum victoria potitis, ubi recognovit multitudinem hostium cæsorum, O infelicem, inquit, Græciam, quæ tantos gentili prælio amiserit, quantis satis sit universam subiugare barbariem.

In Olympia cum a Iove oraculum accepisset ex sententia, iubentibus nihilominus ephoris et Pythium de isdem rebus consulere, Delphos venit, et percontatus deum est, num et ipse idem sentiret quod pater.

Intercedens pro quodam amico ad Icareúm Carem, ita scripsit: Niciam si iniurius non est, dimitte, quod si iniurius est, mihi dimitte, prorsum vero dimitte.

Cum invitaretur, ut audiret philomenæ voces imitantem, Ipsam, inquit, audivi sæpe.

Post pugnam Leuctricam, cum omnes fuga elapsos lex iuberet esse infames, videntes ephori urbem viris vacuam, volebant infamiam remittere, ac legislatorem declararunt Agesilaum. At ille progressus in medium edixit leges a crastino firmas esse.

Cum Aegyptiorum regi auxilio missus obsideretur una cum illo, et hostes multipliciter numero superiores castra eius fossa circumdarent, iubente rege erumpere ac depugnare, negavit prohibiturum se hostes pares sibi fieri volentes. Deinde cum iam paululum abesset, quin fossa coiret, in ipso interstitio aciem instruxit, et pares paribus congressi vicerunt.

Moriens amicis mandavit, ne quam sibi ficticiam imitatoriamve facerent, imagines ita appellans. Nam si, inquit, præclari quicquam gessi, hoc mei monumentum erit; sin nihil, ne universæ quidem statuæ.

Archidamus Agesilai filius catapultam conspicatus e Sicilia tunc primum allatam, exclamavit: O Hercules, periit viri virtus.

Agis posterior, cum Demades diceret Laconicos enses ob brevitatem a præstigiatoribus deglutiri, Atquin, inquit, potissimum Spartiatae hostem gladiis perveniunt.

Ephoris iubentibus proditori milites tradere, negavit ei se credere alienos, qui prodiderit suos.

Cleomenes pollicente quodam daturum se ei gallos qui pugnando enecantur, Non iis, inquit, indigeo, verum illis potius qui enecant pugnando.

Pædaretus cum non esset allectus in numerum ter centum virorum, qui erat in civitate primus ordo dignitatis, ridens et hilaris abscedebat, lætari se profitens, quod respublica trecentos habeat cives se meliores.

Damonidas in novissimo chori loco ab eiusce rei magistro collocatus, Euge, inquit, invenisti, quemadmodum et hic fiat honoratior.

Nicostratus, Argivorum dux, cum ad prodendum quoddam oppidum pelliceretur ab Achidamo haud parva pecunia et coniugio puellæ Lacænæ quam vellet, præter regias, respondit non esse Archidamum ab Hercule oriundum, Herculem quippe terras peragrando punire solitum malos, Archidamum malos efficere ex bonis.

Eudæmonidas conspicatus in Academia Xenocratem iam senio confectum cum discipulis philosophantem [1]; cum rescisset virtutem eum inquirere, Et quando ipsa, inquit, utetur?

Rursus cum audisset philosophum disserentem, solum sapientem bonum esse imperatorem, Sermo quidem, inquit, admirabilis, sed auctorem sermonis tuba non circumsonuit.

Antiochus Ephorum gerens, ubi audivit Philippum Messeniis agrum tribuisse, quæsivit, an et vincere eis tribuisset pro agro dimicantibus.

Antalcidas ad Athenienses rudes vocantem Lacedæmonios, Soli nimirum, inquit, nos nihil a vobis mali didicimus.

Alio Atheniensi dicente ad eum, Nos equidem sæpe vos reppulimus a Caephiso, At nos, inquit, nunquam vos ab Eurota.

Sophista recitaturo laudationem Herculis, Quis vero, inquit, eum culpat?

[1]) *Pholosophantem* a codex.

Thebanorum : Capitulum Nonum.

Epaminonda Thebano imperante numquam lymphaticus tumultus invasit exercitum.

Is dicebat pulcherrimam esse mortem in bello mori.

Armatorum corpora definiebat oportere esse exercitata non modo athletarum instar, sed et militum. Unde et corpulentis adversabatur, ita ut quendam talem militia removerit, inquiens, tribus aut quattuor clypeis ventrem eius vix tegi, propter quem iam pridem nec pudenda sua viderit.

Cæterum in victu adeo erat tenuis, ut a vicino vocatus ad cœnam, cum bellariorum et opsoniorum et unguentorum offendisset apparatum, confestim abierit dicens: Ego te sacrificium facere putabam, non iniuriam.

Collegis aliquot dierum impensæ rationem reddente coco, solam olei multitudinem ægrius tulit. Mirantibus super ea re collegis, non impensam sibi molestam esse dixit, sed quod tantum olei intra corpus receptum sit.

Festum agente civitate ac omnibus circa pocula et scorta occupatis, occurrit familiari cuidam sordidus et cogitabundus incedens. Admirante illo et percontante, quid ita solus eo habitu circumiret, Ut, inquit, liceat vobis omnibus ebriis et desidibus esse.

Hominem nequam mediocri cuipiam delicto obnoxium Pelopida deprecante non dimisit, amica rogante dimisit, inquiens, talia debere meretriculas impetrare, non imperatores.

Lacedæmoniis bellum molientibus cum redderentur Thebanis oracula partim victoriam, partim cladem denunciantia, iussit hæc quidem ad dexteram tribunalis poni, ad sinistram illa; quibus ita locatis exurgens ait: «Si volueritis parere magistratibus et comminus hostem aggredi, hæc vobis sunt oracula», demonstratis melioribus, «Quod si periculum expaveritis, illa» intuitis peioribus.

Rursus cum in hostes duceret, tonitru facto, ac iis qui circa ipsum erant, quærentibus, quidnam significare deum putaret, Attonitos, inquit, esse hostes, qui cum talia loca in proximo habeant, in talibus castra metentur.

Iocundissimum omnium quæ unquam sibi præclara evenis-

sent, illud esse aiebat, quod utroque adhuc parente superstite in Leuctris vicisset Lacedæmonios.

Cum alias solitus esset peruncto resplendere corpore ac hilari vultu esse, postridie illius pugnæ sordidus et humilis processit. Rogitantibus amicis, an quicquam ei triste accidisset, Nihil, inquit, verum heri sensi me supra quam honestum sit animo fuisse elatum, propterea hodie castigo immodestiam lætitiæ.

Gnarus autem Spartiatas celare huiuscemodi calamitates ac volens convincere magnitudinem stragis eorum, non simul omnibus, sed singulis seorsim civitatibus cadavera sua tollere concessit, ita ut plus quam mille Lacedæmoniorum interisse appareret.

Cum Thessalorum dictator Iason belli socius Thebas venisset, ac duo aureorum milia Epaminondæ misisset inopia graviter laboranti, aurum quidem non accepit, Iasonem vero conspicatus, Iniquis ait, manibus præes. Ipse deinde a quodam e civibus quinquagies drachmarum fœneratus viaticum expeditionis Peloponnesum irrupit.

Persarum item ab rege tribus sibi milibus daricorum allatis vehementer in Diomedontem invectus est, quod tantam navigationem navigasset corrupturus Epaminondam. Regi enim referre iussit, si ea cogitaret quæ in rem Thebanis essent, futurum ei gratis amicum Epaminondam, sin contraria, hostem.

Cum Argivi Thebanis adhæsissent, et venientes in Arcadiam legati Atheniensium utrosque accusarent, ac orator Callistratus Orestem et Oedipodem exprobraret civitatibus, assurgens Epaminondas, Fatemur, ait, et apud nos patricidam extitisse, et apud Argivos matricidam, sed hæc tam nefanda ausos nos eiecimus, Athenienses susceperunt.

Spartiatis longa et magna in Thebanos accusatione usis, Hi nempe vos, inquit, a breviloquio desistere coegerunt.

Cum Alexandrum Pheræorum tyrannum, Thebanorum hostem, Athenienses in amicitiam et societatem ascivissent, et is pollicitus foret dimidio se illis obolo minam carnium venalem præbiturum, At nos, inquit Epaminondas, Atheniensibus ad carnes has ligna gratis suppeditabimus, nam regionem eorum succidemus, si fuerint curiosi.

Bœotos otio solutos volens semper in armis continere, quotiens Bœotarcha, idest, summus eorum magistratus creabatur,

admonens dicebat: Amplius deliberate, o viri, nam me imperium obtinente militandum vobis est.

Agrum etiam ipsorum supinum et diffusum belli orchestram nuncupabat, quasi aliter eum obtinere non possent, nisi clypei loro manum insertam haberent.

Cum Chabrias ad Corinthum paucos quosdam e Thebanis subter mœnia cupidius velitantes oppressisset et fixisset tropbæum, irridens Epaminondas ait, non trophæum illic, sed hecatesium statuendum, nam Hecatem deam rite pro portis urbium in triviis collocabant.

Renunciante quodam Athenienses exercitum noviciis exornatum armis in Peloponnesum misisse, Quid igitur, inquit, num ideo gemit Antigenidas, quia novas habet Telles tibias? Erat autem tibicen Telles pessimus, Antigenidas optimus.

Cum animadvertisset armigerum suum magnam pecuniam de quodam captivo exegisse, Mihi quidem, inquit, clypeum redde, tibi vero eme cauponam, in qua degas. Nam æque ac prius periclitari iam noles, unus e divitum et beatorum numero factus.

Interrogatus se ne existimaret ducem meliorem an Chabriam vel Iphicratem, Diiudicari, inquit, vix potest, donec vivimus.

Cum reversus e Laconica una cum collegis capitali iudicio reus ageretur, quia contra legem quaternos menses adiecisset imperio, iussit collegas in se crimen refundere velut coactos. Ipse vero dixit non habere se verba operibus meliora, si quid tamen omnino ad iudices loquendum sit, postulare, uti cum se necaverint, condemnationem in columna describant, quo agnoscat Græcia, quod invitos Thebanos Epaminondas compulit Laconicam igni vastare, quingentos retro annos populationis immunem Messanam habitatoribus frequentem reddere, post annos XXX et ducentos componere et in unum congregare Arcadas, Græcis restituere libertatem. Nam hæc per illam expeditionem acta sunt. Exierunt igitur iudices multu cum riso ne calculis quidem in eum sublatis.

Novissimo prælio vulneratus et in tentorium relatus vocitabat Daiphantum, post deinde Hyolidam; [1]) ubi rescivit utrumque occidisse, suadebat, uti pacem cum hoste facerent, tanquam deficiente eis duce. Quod viri dictum quasi optime cives suos cognoscentis res comprobavit.

[1]) A görögben Ἰολλίδαν.

Pelopidas, Epaminondæ in imperio collega, dicentibus amicis negligere eum rem necessariam, pecuniæ cumulationem, Sane, inquit, ostendens [1]) Nicomedem quendam claudum et minime integrum membris hominem.

Egredientem eum in pugnam cum uxor oraret, uti saluti suae consuleret, Istuc, inquit, aliis suggere, magistratui vero et duci, ut saluti consulat civium.

Quodam e militibus dicente: Incidimus in hostes, Qui magis inquit, quam in nos illi?

Cum autem ab Alexandro Pheræorum tyranno contra fidem publicam in vincula coniectus conviciis hominem incesseret, dicente illo: Mori festinas, Certe [2]) inquit, ut [3]) magis exasperentur Thebani, et tu supplicium luas citius.

Tyranni uxor Thebe cum viseret Pelopidam et diceret mirari se, quod tam hilaris sit compeditus, At ego, inquit, magis de te miror, quod minime compedita expectas Alexandrum.

Cæterum asportatus ab Epaminonda gratiam habere dixit Alexandro, quod nunc potissimum se ipsum expertus sit, non modo ad bellum, verum etiam ad mortem satis habere fiduciæ.

Romanorum: Capitulum decimum.

M. Curius conquerentibus de eo nonnullis, quod agri bello parti modicam partem viritim populo divisisset, maiorem rettulisset in publicum, optavit, ne quisquam Romanorum superesset, qui terram alimenta suppeditantem pro exigua reputet.

Cum post subiugationem venissent ad eum Samnites et aurum offerrent rapula coquenti in fictilibus, respondit nihil opus esse auro ita cœnanti; se vero pluris facere aurum habentibus imperare, quam aurum possidere.

C. Fabricius cum audisset Romanos a Pyrrho profligatos, Labieno ait: Pyrrhus, non Epirotæ Romanos superarunt.

Missus ad Pyrrhum pro redimendis captivis oblatum ingens auri pondus non accepit.

Postridie cum Pyrrhus maximum ad hoc disposuisset elephan-

[1]) A lap szélén: »aliter: ostendens valde claudum quendam.»

[2]) *cer* a codexben.

[3]) A lap szélén »aliter: ut magis in te exasperentur Thebani, et pereas maturius».

tum, ut is post tergum ignoranti Fabricio grandi edito barritu repente supra caput exoriretur, re in hunc modum acta conversus et ridens Fabricius, Me, inquit, nec heri aurum, nec hodie brutum permovit.

Orante Pyrrho, uti secum maneret, et secundum post se ducatum gereret, Nec tibi, inquit, istud expedit; Epirotæ quippe, cum utrumque nostrum cognoverint, a me magis regi quam abs te volent.

Consulatum administranti Fabricio Pyrrhi medicus per litteras pollicitus est, si iubeat, Pyrrhum se venenis necaturum. At Fabricius epistolam Pyrrho misit monens agnoscere, quam iniquus et amicorum et hostium existimator esset. Postea vero quam deprensis insidiis Pyrrhus medicum quidem suspendit, Fabricio autem captivos sine precio restituit, non admisit donationem, sed et ipse contra totidem reddidit, ne mercedem accipere videretur; nam non Pyrrhi se gratia enunciasse insidias, sed ne putarentur Romani dolo interficere velle, quasi aperto Marte superare non possent.

Fabius Maximus nolens pugnare cum Hannibale, sed mora exercitum eius atterere tam pecunia quam annona carentem, assectabatur hominem haud procul per loca aspera et montana in oppositum prosiliens. Vulgo irridente et pædagogum Hannibalis vocitante, parum ea curans suis consiliis utebatur, et amicis dictitabat, timidiorem sibi videri qui morsus et convicia metuat, quam qui fugiat hostes.

Sed cum collega Minucius nonnullos hostium cecidisset, et propterea tanquam vir Roma dignus multorum sermone celebraretur, magis se ait successum, quam infortunium Minucii formidare.

Cui paulo post insidiis circumvento et iam iam una cum copiis suis perituro auxilium ferens et hostes haud paucos oppressit et illum servavit. Dixisse igitur ad amicos Hannibal fertur: Nonne sæpius prædicebam ego vobis illam in montibus nebulam aliquando in nos nimbum effusuram?

Post cladem Cannensem factus consul cum Claudio Marcello audente viro et semper Hannibalem præliis lacessente, ipse sperabat denegata pugnandi copia brevi exercitum Hannibalis protractione ipsa defecturum. Dicebat ergo Hannibal magis se timere Marcello pugnante Fabium non pugnantem.

Milite quodam Lucano apud eum accusato, quod noctu frequenter extra castra vagaretur ob amorem mulieris, ubi cognovit

præstantissimum alioquin armis virum esse, præcepit amicam eius comprehendi et ad se clam deduci. Qua adducta et homine accersito, Non me, inquit, latet, te præter morem abnoctare, sed et prius non latebat virum frugi esse; nunc igitur errata fortiter factis purgentur, deinceps autem eris nobiscum, nam huius rei sponsorem teneo. Et productam mulierculam homini applicavit.

Tarentum arce excepta præsidio tenentem Hannibalem astu quam longissime abduxit et urbem cepit ac diripuit. Percunctante scriba, quidnam de sacris imaginibus statuisset, Relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos.

M. autem Livium arcis præfectum, cum is sua opera urbem captam prædicaret, cæteri quidem irridebant, at Fabius, Dicis, inquit, vera, nam nisi tu eam amisisses, ego nunquam recepissem.

Iam senex consulatum gerente filio et in publico multis præsentibus responsa reddente, ipse equo vectus adventabat, quem ubi iuvenis lictore misso descendere iussit, confusis cæteris, Fabius equo desiliens præter ætatem accurrit et filium complexus, Euge, inquit, fili, sapis, quandoquidem intellexisti, quibus præsis et quanti magistratus amplitudinem susceperis.

Africanus Superior quantum sibi a militia et re publica temporis supererat, litteris insumebat, dicens, plura se agere ociosum.

Carthagine vi expugnata cum ei quidam e militibus formosam virginem captivam forte nacti obtulissent, Libenter, inquit, acciperem, si privatus essem et non rector.

Baudiam obsidens oppidum, cui supereminebat templum Veneris, illuc vadimonia sponderi iussit, tanquam perendie in ipso fano litigantes auditurus. Quod et fecit, urbe, ut prædixerat, capta.

Interrogante quodam in Sicilia, qua fiducia ad Carthaginem transmissurus classem foret, ostendens ei tercentum viros se in armis exercentes et turrim excelsam mari incumbentem, Nullus, inquit, horum est, qui non turrim illam ascendat et se præcipitem deiiciat me iubente.

Traiecto exercitu cum et terram in potestatem suam redegisset, et hostium castra exussisset, Carthaginienses per legatos de fœdere agebant, et belluas et naves et pecuniam se tradituros polliciti. Freti deinde Hannibalis præsentia, qui ex Italia classem appulerat, conventa per præsentiam rescindebant. At Scipio re intellecta professus est se iam ne ipsis quidem volentibus pacta servatu-

rum, nisi insuper quinquies milies talentum exolverint, eo quod Hannibalem accersissent.

Porro cum iam vi debellati Carthaginienses de fœderibus et pace legatos ad eum misissent, confestim omnes qui venerant abire imperavit, [1]) perinde ac non prius eos auditurus quam L. Terentium adduxissent. Erat autem is Terentius civis Romanus vir probus pridem a Pœnis captus. Quem adductum in consilio iuxta se ad tribunal sedere fecit et ita Carthaginiensibus respondit ac bellum composuit. At Terentius prosecutus est eum triumphantem pileum gestans quasi libertus. Defuncto etiam iis qui ad funus convenerant mulsum propinavit et alios sepulturæ eius honores studiose exhibuit. Sed hæc posterius.

Cæterum cum rex Antiochus post transvectos iam contra se in Asiam Romanos ad Scipionem pro concordia misisset, Prius, inquit, istud faciundum erat, non nunc, cum iam et frenum et sessorem admisisti.

Pecuniam ei ex ærario dari cum senatus censuisset et quæstores aperire illa die recusarent, semet aperturum dixit, nam et clausum sua opera esse, qui id tanta pecunia impleverit.

Cum Pætilius et Quintus diem ei ad populum dixissent, præfatus ea die Carthaginienses et Hannibalem a se victos, Ego, inquit, coronatus in Capitolium ascendam supplicatum; interim, si quis vult, suffragia in me ferat. Quibus dictis ascendentem secutus est populus accusatoribus in media contione relictis.

T. Quintius hic [2]) statim ab initio clarus fuit adeo, ut ante tribunatum et præturam et ædilitatem consul crearetur.

Is imperator adversus Philippum missus colloquendi cum eo consilium sumpsit, petente obsides Philippo, eo quod diceret illum inter multos Romanis, se unicum esse Macedonibus; Tu vero, ait Quintius, ipse te unicum reddidisti familiaribus et propinquis interemptis.

Victo acie Philippo pronunciavit in Isthmiis liberos et sui iuris se Græcos dimittere. Quicumque autem Romanorum temporibus Hannibalis capti servitutem per Græciam serviebant, eorum unumquemque Græci quingentis drachmis redemerunt et ei dono

[1]) *impetravit* a codexben.

[2]) Janus Pannonius ugy látszik οὗτος-t olvasott οὕτω; helyett kéziratában.

dederunt. Qui omnes Romæ triumphantem secuti sunt pileati quemadmodum moris est manumissis.

Achæos ad Zacynthum insulam exercitum mittere cogitantes cavere monuit, ne velut testudines caput extra Peloponnesum protendentes, periclitarentur.

Rege Antiocho magnis copiis in Græciam adventante ac omnibus multitudinem earum et armaturas stupentibus, huiuscemodi Achæis fabulam narravit. Invitatum se Chalcide ad cœnam cum miraretur vim carnium, ab hospite audisse omnem illam carnem suillam esse condimentis et apparatibus differentem. Ergo et vos, inquit, regium ne admiremini exercitum, cum hastatos et cataphractos et pedites et equestres sagittarios auditis; omnes quippe isti Syri sunt, armulis inter se diversi.

Philopœmeni Achæorum prætori multos quidem habenti equites et armatos, sed pecunia minime abundanti alludens dicebat, Philopœmenem manus et crura habere, ventrem non habere. Erat autem et habitu corporis Philopœmen talis.

C. Domitius, is quem Scipio Magnus bello adversus Antiochum fratri Lucio pro se legatum addidit, considerata phalange hostium et ductoribus qui secum erant statim aggredi hortantibus, negavit tempus sufficere, ut tot hostium milibus cæsis et impedimentis direptis in castra reversi corpora procurent; verum idem die crastini tempestive facturum; ac postridie congressus quinquaginta hostium milia cecidit.

P. Licinus consul imperator a Perseo rege Macedonum equestri prælio superatus duo milia et octingentos milites amisit partim occisos, partim captos. Post pugnam autem cum Perseus de fœderibus et pace legatos misisset, mandavit victus victori, ut se et sua Romanis committeret.

Paulus Aemilius secundum consulatum petens repulsam tulit. Deinde cum Persicum sive Macedonicum pellum per imperitiam et ignaviam ducum longius traheretur, declaratus consul negavit se gratiam habere populo Romano, quia non tam se consulatu indigente, quam ipsis consule, creatus esset imperator.

Domum e foro progressus et tertiam filiolam lacrymis oculos suffusam reperiens, causam requirebat. Quæ cum dixisset, Quia Perseus nobis interiit (erat autem catellus hoc nomine), Dii bene vortant, et accipio, inquit, omen, filia.

Cum offendisset in castris plurimum confidentiæ et magniloquentiæ hominum temere imperitantium et satagentium, præcepit, uti quieto animo essent et acuerent gladios duntaxat. Cætera sibi curæ fore.

Nocturnos excubitores vigilias agere iubebat sine hasta et ense, ut defensione hostium desperata magis resisterent sopori.

Cum invasisset per montana Macedoniam et instructos conspexisset hostes, adhortante eum Nassica protinus confligere, Siquidem, inquit, tua nobis foret iuventa, verum longa me experientia prohibet cum ordinata phalange ex itinere congredi.

Profligato Perseo cum epulum victoriæ præberet, eiusdem aiebat esse industriæ terribiliorem hostibus exercitum et amicis cœnam exhibere iocundissimam.

Cum Perseus iam captivus triumphum deprecaretur, Penes te, inquit, istud est potestatem ei concedens mortis sibi consciscendæ.

Infinita pecunia comperta ipse quidem nihil accepit, tantum genero Tuberoni phialam argenteam pondo quinque librarum, virtutis præmium dedit. Et hanc ferunt primam in Aemiliorum domum argenteam introisse supellectilem.

Quattuor mares filios sortitus duos iam pridem aliis tradiderat adoptandos. E duobus qui domi remanserant alter quinque ante triumphum dies mortem obiit annos natus quattuordecim, alter quinque post triumphum, annorum duodecim. Progressus igitur ad populum mœroris et luctus consortem, nunc iam, inquit, de patria securum se ac tutum esse, quando omnem felicitatis invidiam domui suæ applicante fortuna pro universis ipse sustulisset.

Cato Maior apud populum in luxuriam et sumptuositatem invehens, durum ait esse ad ventrem loqui aures non habentem. Mirari vero se, qui salva possit esse civitas, in qua pluris venit piscis, quam bos.

Matronarum quandoque exuberantem potentiam carpens, Omnes, inquit, mortales uxoribus imperant, omnibus autem mortalibus nos, nobis vero uxores.

Profitebatur etiam malle se cum bene meritus sit, non recipere gratiam, quam cum iniuriam fecerit, non subire pœnam; ac omnium omnino erratis præter quam suis ignoscendum.

Magistratus ad castigandos improbos ita exhortabatur, ut

diceret, eos qui prohibere male facta possint, si non prohibeant, iubere lapidandos. [1])

Adolescentibus iis se magis aiebat delectari qui rubent, quam iis qui pallent.

Militem odio habere qui inter ambulandum manus, inter pugnandum pedes movet et stertit, quam vociferatur, clarius.

Pessimum rectorem esse qui se regere non possit.

Unum quemque oportere maxime se ipsum vereri, neminem quippe a se ipso unquam abesse.

Multorum conspiciens erectas statuas, De me, inquit, malo illud quærant homines, cur nulla sit Catoni posita statua, quam cur sit posita.

Potentes hortabatur licentia parce uti, quo id ipsum licere maneat perpetuum.

Virtutem honore fraudantes virtute dicebat fraudare iuventutem.

Magistratum seu iudicem nec orari debere in rebus iustis, nec exorari in iniustis.

Iniuriam etiam si auctoribus non ferat periculum, universis tamen ferre.

Senectuti cum multa insint fœda, exigebat, ne adiiceretur fœditas viciorum.

Iratum a furioso tempore distinguebat.

Minime invidiosos esse qui fortuna probe et moderate utantur, nam non nobis, sed iis quæ circa non sunt invideri.

Serios in ridiculis in seriis ridiculos fore prædicabat.

Præclara facta præclaris excipienda esse dictis, ne memoria effluant.

Increpabat cives, quod semper eosdem legerent magistratus, Videbimini quippe, inquit, non multi facere regimenta, vel non multos regimentis dignos censere.

Eum qui maritimum fundum vendiderat admirari se simulabat, tanquam mari fortiorem; nam quod mare vix alluat, hunc facile absorpsisse.

In petitione censuræ videns multos per ambitionem multitudini blandientes, ipse clamabat populum acri medico et grandi repur-

[1]) A lap szélén: «aliter: si non propulsent». Különben Janus Pannonius kéziratában κατακελεύειν helyett alkalmasint καταλεύειν volt.

gamento indigere; quapropter non lenissimum quemque sed indeprecabilem eligendum. Et hæc dicens prælatus omnibus est.

Iuvenes audaciter pugnare ita erudiebat, ut diceret sæpenumero efficaciorem esse gladio sermonem, et vocem manu ad convertendos in fugam hostes et exterrendos.

Bellum gerens adversus Hispanos iuxta Bætim amnem incolentes in discrimine esse cœpit ob multitudinem hostium. Porro cum Celtiberi ducenties talento auxilium ferre pollicerentur, Romani vero cum hominibus barbaris depecisci haud sinerent, falli eos dixit; nam si vicissent, facile mercedem exoluturos non de suis, sed hostium bonis; sin fuissent profligati, nec promissores usquam fore, nec exactores.

Cum autem plura, ut ipse ait, cepisset oppida, quam quot diebus inter hostes fuit, nihil ex præda commodi percepit præter esculenta et poculenta.

Cæterum militibus argenti libra viritim divisa melius esse ait multos cum argento, quam paucos cum auro de expeditione reverti, magistratum autem nihil nisi gloriam in provinciis augeri oportere.

Quinque in castris servos habuit, quorum unus tribus captivis corporibus emptis, postquam id Catonem celare non potuit, priusquam coram sisteretur, laqueo vitam finivit.

Rogatus a Scipione Africano, ut Achæorum exulibus patrocinaretur ad reditum, dissimulabat curæ id sibi esse. In senatu deinde cum multa ultro citroque super ea re dicerentur, assurgens, Quasi, inquit, nulla habentes alia negotia desidemus de senecionibus Græculis inquirentes, utrum a nostratibus, an a suis pollinctoribus efferantur.

Cum Postumus Albinus [1]) græce historiam scripsisset et idcirco veniam ab auditoribus peteret, cavillans Cato ait, dandam ei veniam fuisse, si quidem Amphictyonum decreto coactus scripsisset.

Scipionem Iuniorem ferunt annis quattuor et quinquaginta quos vixit nihil emisse, nihil vendidisse, nihil ædificasse. Argenti libras tris et XXX dumtaxat, auri autem duas in summis opibus reliquisse, cum tamen et Carthaginis potitus sit, et plus quam cæteri omnes imperatores militem locupletaverit.

Polybianum vero servans præceptum dabat operam, ne prius

[1]) A lap szélén: «aliter: Labienus». A görögben is Λαβιήνου.

foro excederet, quam aliquem ex iis quos quoquo modo habuisset obvios familiarem sibi et amicum parasset.

Adhuc iuvenis tantam habuit fortitudinis et prudentiæ opinionem, ut senior Cato interrogatus de iis qui ad Carthaginem militabant, (inter quos et Scipio erat) dixerit: «Solus habet sensum, reliqui simulacra vagantur».

Romam autem regressum eum e castris[1]) invitabant, non ut ipsi gratificarentur, sed ut eius opera Carthaginem celeriter et facile caperent.

Cæterum postquam occupatis mœnibus Carthaginienses arcem tueri compulit, consulente Polybio, mare quod in medio haud altum erat, tribulis ferreis conspergere aut clavatos pluteos iniicere, ne transgressi forte hostes aggeribus insultarent, ait, ridiculum esse muris potitos et urbem ingressos deinde operam dare, ne cum hostibus manum conserant.

Cum offendisset urbem statuis græcis et donis siciliensibus plenam, pronunciavit, ut si qui[2]) de iis civitatibus præsto essent, agnoscerent sua et asportarent, bona vero nec a servis nec a libertinis tolli, immo nec emi permittebat, cæteris agentibus et ferentibus omnia.

C. Lælio amicorum carissimo ad consulatum opem ferens, sciscitatus de Pompeio est, an et ipse peteret consulatum. Putabatur autem Pompeius iste filius esse tibicinis. Qui cum se minime petere dixisset, immo et Lælium circumducere ac suffragiis adiuvare velle spopondisset, crediderunt illi, et mox spe in eo collocata frustrati sunt. Nam renunciatum protinus est ipsum in foro ambulare et salutare cives. Indignantibus cæteris Scipio ridens ait: Nos vero vani, qui tanquam non homines, sed deos rogaturi tam diu moramur tibicinem expectantes.

Cum Appius Claudius competitor eius in censura diceret omnes a se Romanos nominatim salutari Scipione propemodum cunctos nesciente, Dicis, inquit, vera, nam mihi curæ fuit non tam multos nosse, quam a nemine ignorari.

Hortabatur vero cives quandoquidem bello Celtiberico implicabantur, ambos in exercitum mittere, vel legatos vel tribunos, ac

[1]) A lap szélén: «aliter: Romam autem e castris eum accersebant».
[2]) *quid* a codexb.n.

utriusque virtutis testes et iudices sumere eos ipsos qui expeditioni interforent.

Censor factus adolescenti equum ademit, qui bello Punico cœnans lautius mel compactum in speciem urbis formarat et Carthaginis nomine diripiendum convivis apposuerat. Quærenti autem iuvene equi sibi adempti causam, Quia, inquit, prior me Carthaginem diripuisti.

Licinium prætereuntem conspicatus, Scio, inquit, virum hunc peierasse; verum nullo accusante non possum et accusator esse et iudex.

Cum tertium a senatu missus «quo leges hominum, nec non malefacta notaret» (ut inquit Clitomachus), civitatum, gentium et regum inspector Alexandriam venisset, et navigio egressus operto capite incederet, orabant eum circumcursantes Alexandrini, ut se retegeret et desiderantibus faciem aperiret. Quam ubi aperuit, et clamorem et plausum ediderunt. At cum gradientes rex ipse passibus vix æquaret ob inertiam et delicias corporis, Scipio clanculum insusurravit Panætio: Iam adventus nostri fructum aliquem Alexandrini perceperunt, nostra quippe opera regem viderunt ambulantem. Erat autem ei comes itineris amicus unus, philosophus videlicet Panætius, servi quinque, quorum uno peregri defuncto alium mercari nolens accersivit e Roma.

Numantini cum insuperabiles haberentur et multos imperatores debellassent, populus ad id bellum Scipionem iterum consulem designavit. Quo tempore multis ad militiam incitatis senatus et hoc inhibuit, quasi exhauriretur Italia; immo nec pecuniam quæ in promptu erat accipere permisit, sed publica vectigalia ad eam rem deputavit, nondum tempestiva. Verum Scipio commemoravit pecunia quidem se non indigere, nam suas et amicorum res suffecturas, de militibus autem questus est. Grave quippe id bellum esse, si quidem hostium virtute superati sint totiens, quia contra tales, sin civium ignavia, quia cum talibus.

Postquam in castra venit, cum plurimum enormitatis et incontinentiæ et superstitionis et deliciarum offendisset, vates inprimis et sacrificulos et lenones continuo eiecit. Ad hæc impedimenta omnia edixit ablegari, præter ollam, veru, et poculum fictile; de argenteis pateram et eam non maiorem libris duabus habere volentibus concessit. Balneas interdixit; si qui perungerentur, eorum

unumquemque se ipsum defricare; iumenta quippe quæ manibus carent alio abstergente indigere. Iussit etiam, ut stantes pranderent obsonium nullo igne præparatum, cœnarent discumbentes panem aut pultem simpliciter et carnem tostam aut elixam. Ipse sagum nigrum fibula innexus circumibat, affirmans lugere se ignominiam exercitus.

Memmii cuiusdam tribuni cum deprendisset iumenta refrigeratoriis gemmatis et scyphis Thericleis onerata, Mihi quidem, inquit, et patriæ ad dies XXX, tibi vero per omnem vitam inutilem te his moribus reddidisti.

Altero parmulam perquam ornatam ostentante, Scutum, inquit, adolescens, bellum est, sed virum Romanum decet magis in dextra, quam in sinistra spem habere.

Alius item vallum ferens, cum se nimium premi diceret, Iure, inquit, quia ligno huic plus fidis, quam gladio.

Desperationem hostium videns tempore securitatem emere dicebat. Nam bonum imperatorem veluti medicum debere non nisi inter extrema ferro curare.

Interim ex occasione Numantinos adortus vertit in fugam. Senioribus igitur victos incessentibus, quid ita fugissent, quos totiens fugaverunt, dixisse quendam e Numantinis ferunt, pecudes quidem etiam nunc easdem, sed pastorem esse alium.

Numantia capta et secundo triumpho acto factioni Gracchanæ pro senatu et sociis se obiecit. Aegre id passa plebs cum eum pro tribunali perturbaret, Me, inquit, nunquam exercituum vociferatio conterruit, nedum hominum convenarum, quorum non matrem Italiam, sed novercam esse cognosco.

At Caianis occidendum tyrannum clamitantibus, Merito, inquit, patriæ hostes me prius volunt occidere, quia putant nec Romam Scipione stante casuram, nec Roma disiecta victurum Scipionem.

Cæcilius Metellus locum munitissimum aggressurus, cum ei centurio dixisset, decem tantummodo militum detrimento locum in potestate futurum, interrogavit, an ipse vellet unus ex iis X esse.

Tribuno quodam e iunioribus percontante, quid esset facturus, Si, inquit, autumarem tuniculam hanc meam eius mihi rei consciam esse, statim exutam igni traderem.

Scipioni viventi adversatus, mortuum indoluit, ac filios iussit subire et tollere pheretrum; testatus gratiam se diis habere pro Roma, quod alibi non fuisset natus Scipio.

C. Marius ex ignobili genere ad rem publicam per opera militaria promotus fuit. Is ædilitatem curulem ambiens ubi se sensit obtinere non posse, eadem die ad plebeiam transiit. Qua et ipsa frustratus non tamen desperavit primarius fore Romanorum.

Varices vero habens in utrisque cruribus secandos medico præbuit inalligatus; sed nec gemitu edito, nec superciliis contractis manum opificem sustinuit. Medico deinde ad alterum crus transeunte recusavit, dicens non esse curationem dolori parem.

Eo iterum consule Lusius sororis filius militi cuidam nomine Trebonio ingenua facie adolescenti vim inferre conabatur. At ille hominem obtruncavit. Multis porro accusantibus et occidisse præfectum non negavit, et causam exposuit ac probavit. Tum Marius coronam ob virtutem dari solitam afferri iussit et Trebonio indidit.

Cum prope Teutonas castra posuisset in loco parum aquæ habenti, militibus sitire dicentibus ostendit fluvium iuxta vallum hostium decurrentem. Et illinc, inquit, potus vobis emendus sanguine est. At illi tantisper duci orabant, dum liquidum haberent sanguinem et nondum omnino sibi constructum.

Mille Camertes, quorum forti opera in bellis Cimbricis usus fuerat, simul omnes Romana civitate donavit lege nulla. Quam rem vituperantibus dicebat se ob [1]) armorum strepitum leges non exaudisse.

Bello sociali fossa et obsidione cinctus opportunum tempus ferendo expectabat. Dicente ad eum Pompeio Silone, Si magnus imperator es, Mari, descende et dimica, Immo tu, inquit, si magnus imperator es, coge me decertare vel invitum.

Catulus Lutatius bello Cimbrico positis ad flumen Athesim castris, quia Romani videntes barbaros transire velle cedebant, cum eos retinere non posset, proripuit se et primis fugientium immiscuit, ut viderentur non hostes fugere, sed ducem sequi.

[1]) *ab* a codexben.

Sylla, Felix dictus inter maximas felicitates duo computabat, Pii Metelli amicitiam et quod Athenas non evertisset, sed pepercisset civitati.

C. Popillius missus est ad Antiochum ferens a senatu epistolam iubentem, uti exercitum ex Aegypto deduceret, neve sibi usurparet regnum, et eo fraudaret Ptolemæi liberos patre orbatos. Accedentem eum per castra procul salutavit Antiochus comiter. Ille non resalutato rege litteras porrexit. Quibus lectis cum dixisset deliberaturum se et responsurum, Popillius orbem circa eum virga descripsit, inquiens: Hic ergo stans delibera et responde. Omnibus confidentia viri perculsis et Antiocho facturum spondente quæ Romanis viderentur, tum demum salutavit et complexus eum est Popillius.

Lucullus in Armenia cum X milibus peditum et mille equitum ibat in Tigranem, centum et quinquaginta militum milia habentem pridie nonarum Octobrium, qua die primum a Cimbris Cæpione duce Romanus fuerat deletus exercitus. Dicente quodam diem illam Romanis atram et horribilem esse, Propterea, inquit, hodie pugnemus alacriter, ut et hanc ex nefasta et tristi Romanis hilarem et gratam reddamus.

Militibus cataphractos vehementissime formidantibus, uti bono animo essent hortabatur, nam plus negotii fore in eis spoliandis, quam vincendis.

Primus deinde in tumulum progressus et motionem barbarorum animadvertens, Vicimus, exclamavit, milites. Ac nullo resistente insequens quinque ex suis desideravit, hostium supra centum milia interfecit.

Magnus [1]) Pompeius tam dilectus Romanis fuit, quam odiosus pater. Is adhuc adolescens Syllanis se partibus totum addixit, necdum magistratu functus, nec in senatum allectus magnum ex Italia delectum egit ac Sylla vocante negavit se sine spoliis et sanguine imperatori copias ostensurum, nec venit prius quam multis prœliis duces hostium vicit.

Cum vero a Sylla imperator in Siciliam missus intellexis-

[1]) A lap szélén: «aliter: Cnæus.» A görögben: ναῖος.



set milites in itineribus ad vim et rapinam inferendam divertere, alioquin sane vagabundos et circumcursantes supplicio affecit, ad se autem missis sigilla ad gladios impressit.

Mamertinos contrariam factionem secutos poterat ad unum omnes iugulare. Sed cum Sthenius populi princeps dixisset, non recte eum pro uno noxio multos punire innoxios, hunc autem se ipsum esse, qui et amicos induxerit et inimicos coegerit Marianis partibus favere, admiratus Pompeius respondit ignoscere se Mamertinis a tali viro persuasis, qui vitæ suæ patriæ salutem anteferret, ac protinus et civitatem et Sthenium absolvit.

Transgressus in Africam adversus Domitium et grandi prælio superior factus, cum eum imperatorem milites salutassent, ait, non admittere se honorem donec hostile vallum staret erectum. At illi, quamquam imber prohibebat, tamen adorti castra diripuerunt.

Reversum Sylla aliis quidem perbenigne affecit honoribus, et Magnum primus ipse appellavit, triumphare tamen volenti non indulsit, quia nondum senator esset. Cum dixisset ad præsentes Pompeius, ignorare Syllam, quod et solem plures orientem adorant, quam occidentem, exclamavit Sylla: Triumphet.

Servilius vero vir ex optimatium numero indignatus est, sed et militum complures instabant triumpho, donativa quædam flagitantes. Hic cum Pompeius affirmasset omissurum se potius triumphum, quam illis blanditurum, nunc, inquit Sylla, et vere magnum et triumpho dignum sibi videri Pompeium.

Moris erat Romæ equestris ordinis viris, cum legitimum tempus militaverant, deducere equum in forum ad duos viros, qui vocantur censores, ac enumeratis expeditionibus et imperatoribus, sub quibus meruissent, assequi laudem vel vituperationem congruam. Consul igitur Pompeius equum ipse perduxit ad censores Gellium et Lentulum; quibus de more percontantibus, an omnem emeruisset militiam, Omnem, inquit, sub me duce.

Sertorii litteris in Hispania potitus, inter quas erant epistolæ multorum principum super rebus novis et mutatione rei publicæ Sertorium Romam vocantium, exussit omnes, ut pœnitere possent et meliora cogitare improbi.

Cum Phraates Parthorum rex misisset ad eum petens, uti Euphratem haberet pro termino, respondit Romanos potius termino cum Parthis uti iure.



L. Lucullo post res bellicas in voluptatem resoluto et vitam agente lautissimam ac vituperante Pompeium, quod præter ætatem multa agere affectaret, ait, seni magis esse præter ætatem delicias, quam principatum.

Aegrotanti ei præcepit medicus turdum sumere. Missi quæsitum nusquam inveniebant, quia temporis condicio non patiebatur. Cum admonuisset quidam inventum iri apud Lucullum anno toto alentem, Ergo, inquit, nisi Lucullus esset delicatior, Pompeius non viveret, ac valere iusso medico sumpsit, quod erat in promptu.

Gravi fame urbem premente creatus verbo quidem præfectus annonæ; [1]) re autem vera terræ et maris dominus, navigavit in Africam, Sardiniam et Siciliam, ac magna frumenti vi aggregata contendit Romam. Cæterum ingenti tempestate oborta et gubernatoribus moras nectentibus, primus navim ingressus anchoram tolli iussit et exclamavit: Navigare cogeris, vivere non cogeris.

Patescente adversus Cæsarem discordia et Marcellino quodam ex iis qui per Pompeium provecti videbantur, sed tum ad Cæsaris partes transmutato multa contra eum in senatu dicente, Non te pudet, inquit, Marcelline, mihi maledicere, cuius opera ex muto loquens, ex famelico vomens evasisti.

Catoni acerbius obiectanti, quod sæpe prædicente se Cæsaris potentiam et incrementum rei publicæ non conducere, ipse obstitisset, respondit: Tu quidem divinantius, ego autem amicius.

De se ipso liberius prædicans aiebat, quod omne imperium et accepit citius, quam expectavit, et deposuit celerius, quam expectaretur.

Post pugnam Pharsalicam fugiens in Aegyptum, cum vellet e triremi transcendere [2]) in navigium piscatorium a rege missum, conversus ad uxorem et filium, nihil aliud, quam Sophocleum illud dixit: «Quisquis tyranni transit ad vultus truces Fit servus illi, venerit liber licet»; transgressus vero et percussus ense, gemitu edito semel, sed alioquin silentio servato contexit se ac dedidit.

[1]) A lap szélén: «aliter: curator fori».
[2]) trascendere *C.*

Cicero orator cum in nomen eius multi cavillarentur, amicis id immutare suadentibus ait, Ciceronem se facturum et Catonibus et Catulis et Scauris clariorem.

Cum poculum argenteum diis obtulisset, priora quidem nomina litteris signavit, pro Cicerone autem cicer insculpsit.

Clamosos oratores dicebat ex inbecillitate ad vociferationem, velut claudos in equum transcedere.

Verre filium habente flore aliquando corporis abusum, Ciceroni tamen molliciem obiectante et vocante cinædum: Ignoras, inquit, filios intra ianuam esse obiurgandos.

Metello Nepote dicente plures ab eo testimoniis perditos, quam patrociniis servatos, Quia, inquit, plus mihi est fidei, quam eloquentiæ.

Interrogante Metello, quis ei pater esset, Hanc, inquit, responsionem mater mihi difficiliorem fecit. Erat autem illa Metelli impudicior, Metellus vero ipse leviculus et inconstans ac præceps.

Is cum Diodoto præceptori in rhetoricis defuncto corvum lapideum supererexisset, dignam ait remunerationem esse, quippe qui volitare illum, non dicere docuerit.

Vatinium hominem sibi inimicum et alioquin improbum cum audisset obisse, post deinde rescisset vivere, Male, inquit, pereat, male mentitus.

Cuidam qui putabatur genere Afer esse, dicenti, non audire se enim orantem, At quin, inquit, non imperforatam habes aurem.

Castum Popillium iuris peritum videri volentem, hominem vero indoctum ac tardum, citabat testem in quadam causa, qui cum dixisset nihil nosse, Tu te, inquit, fortassis de iure interrogatum putas?

Cum orator Hortensius accepisset mercedem a Verre sphingem [1]) argenteam, ac Ciceroni obliquius quippiam locuto dixisset, nescire se ænigmata solvere, Atquin, inquit, sphinx penes te est.

Factus obvius Voconio cum tribus filiabus vultu deformissimis, submissa voce ad amicos: ait «Phœbo vetante liberos sevit [2]) miser».

Cum Faustus Syllæ filius ob magnitudinem fœnoris aulæa sua proscripsisset, Hanc, inquit, proscriptionem magis amplector, quam paternam.

[1]) *spingem* és a következő sorban *spinx* van a codexben.
[2]) *saevit* a codexben.

Pompeio et Cæsare dissidentibus, Scio, inquit, quem fugio, ad quem fugio, nescio.

Incusabat etiam Pompeium, quod urbem dereliquisset ac Themistoclem imitari maluisset, quam Periclem, cum non illis, sed his similiora essent negotia.

Verum tamen secutus Pompeium et rursum pœnitentia ductus cum interrogaretur ab eo, ubinam Pisonem generum reliquisset, Apud socerum, inquit, tuum.

Cuidam qui a Cæsare ad Pompeium transfugerat, dicenti præ studio ac festinatione equum dimisisse, Melius, inquit, equo consuluisti.

Renuncianti amicos Cæsaris tristes esse, Ais, inquit, succensere eos Cæsari.

Post pugnam Pharsalicam cum Pompeius profugisset, Nonius autem quidam dixisset, adhuc apud se aquilas septem esse, ac propterea iuberet confidere, Admoneres, inquit, recte, si cum picis bellaremus.

Victor Cæsar cum Pompeii deiectas imagines honorifice suscitasset, ait de eo Cicero: Cæsar dum Pompeii statuas sistit, suas figit.

Elegantiam actionis tanti faciebat, et adeo de hac re sollicitus erat, ut instante apud centum viros iudicii die, servum Erotem, qui sibi renunciaverat in crastinum dilatam esse causam, emiserat manu.

C. Cæsar cum adhuc adolescens Syllam fugeret, incidit in piratas, ac primum quidem cum posceretur magnam argenti vim, irrisit latrunculos, quasi ignorantes, quem haberent, et pollicitus est duplum; deinde cum custodiretur, donec pecuniam aggregaret, iubebat, ut quietem sibi præstarent dormienti et silerent. Orationes vero et poemata componens ipsis recitabat. Ac si qui non admodum laudaverant, eos brutos et barbaros appellabat et suspensurum cum risu minabatur. Quod mox et fecit. Nam allato redemptionis precio dimissus, coactis ex Asia viris et navigiis [1]) corripuit prædones et cruci affixit.

Romæ [ad]versus [2]) Catulum summum in civitate virum

[1]) *nagio* a codexben.
[2]) Zárjelek közé azon betüket tettem, melyek a codexben le vannak szakítva.

de [po]ntificatu contendens cum produceretur a ma[tr]e ad fores, Hodie, inquit, mater, aut pontificem habe[bi]s filium, aut exulem.

Uxorem Pompeiam, quod ea [propter] Clodium male audierat, repudiavit, reo postea [prop ter id ipsum Clodio testis adductus, nihil de uxo[r]e sinistri dixit. Quærente accusatore cur igitur [e]am reppulisti? Quia Cæsaris, inquit, uxorem et a calumnia puram esse oportebat.

Legens res gestas Alexandri lacrymavit et amicis dixit: Hac ætate ille vicit Dareum, at mihi adhuc nihil actum est.

Circumeunte eo vile quoddam in Alpibus oppidulum, et amicis disquirentibus, an et illic essent seditiones et contentiones de primatu, substitit et cogitabundus factus, Malim hic, inquit, primus esse, quam Romæ secundus.

In abruptis et ingentibus ausis facto dicebat opus esse, non consulto.

Et ita ex Gallicana provincia Rubiconem fluvium transiit adversus Pompeium, Iacta est, inquiens, omnis alea.

Postea vero quam Pompeius ex Roma fugit ad mare, Metellus ærario præfectus volentem eum pecuniam tollere inhibuit, et ærarium clausit. At ille comminatus est hominem occidere. Exterrito deinde Metello, At quin, inquit, adolescens, dicere istuc mihi difficilius erat, quam facere.

Cum ei milites e Brundusio ad Dyrrhachium serius transportarentur, clam omnibus exiguum conscendens navigium, traiicere pelagus tentavit, periclitante porro navi manifestum se gubernator[i fe]cit et exclamavit: Confidito fortunæ, gnarus q[uod] Cæsarem vehis. Verum tunc quidem ob vehemen[ti]am hyemis transmittere non potuit; concurren[ti]bus mox ad se militibus et moleste ferentibus, quod alias præstolaretur copias, ac si ipsis diffideret.

P[ræ]lio commisso, postquam victor Pompeius non prodi[it], verum retro in castra concessit, Hodie, inquit, p[e]nes hostes erat victoria, sed scientem vincere no[n] habent.

Apud Pharsalum cum Pompeius instructam phalangem in eodem loco stare et excipere hostes iussisset, errare eum dixit, quod furiosum illum qui ex procursu fit tenorem et impetum militum resolveret.

Pharnacem Ponti regem cum ex itinere profligasset, ad amicos scripsit: Veni, vidi, vici.

Postea quam in Africa Scipionis partes fusæ ac fugatæ sunt, Catone propria manu interempto, Invideo, inquit, tibi mortem, Cato; quia et tu mihi salutem tuam invidisti.

Quibusdam Antonium et Dolobellam suspectos habentibus, et cavendos esse hortantibus, Non hos, inquit, metuo, dissolutos et nitentes, sed illos graciles et pallidos, Brutum et Cassium significans.

Cum sermo inter cœnam incidisset, quænam esset mors optima, Inexpectata, inquit.

Cæsar, qui primus cognominatus est Augustus, adhuc adolescens, repetebat ab Antonio bis millenas et quingentas minas, [1]) (quas primo Cæsare interfecto e domo eius ad se transtulerat Antonius), reddere volens Romanis id quod legatum erat a Cæsare, unicuique videlicet drachmas LXXV. Retinente autem pecuniam Antonio, et illum iubente a repetendo, si sapiat, desistere, auctionem fecit patrimonii et congiario reddito sibi quidem benivolentiam civium, illi vero odium comparavit.

Cum rex Thracum Rhymetalces ab Antonio ad eum defecisset, nec temperaret sibi inter pocula, sed in exprobranda societate esset odiosior, propinans cuidam ex aliis regibus Cæsar ait, Ego proditionem amplector, proditores non laudo.

Alexandrinis post captivitatem gravissima pati expectantibus, suggestum ascendit et collocato propius Areo Alexandrino parcere se dixit civitati primum quidem ob magnitudinem et speciem, deinde ob conditorem Alexandrum, tertio propter amicum Areum.

Audito, quod præfectus Aegypti Eros coturnicem omnes alias in pugna vincentem et insuperabilem emisset et assatam comedisset, accersivit hominem et interrogavit, ac fassum, malo navis iussit affigi.

In Sicilia pro Theodoro præsidem constituit Areum. Cum autem obtulisset ei quidam libellum, in quo scriptum erat: «Calvus aut fur Theodorus Tarsensis; tibi quid videtur?» lecto libello Cæsar subscripsit «videtur».

[1]) A lap szélén: «aliter: Myriadas.» A görögben is: μυριάδας.

A Mæcenate sodali suo quotannis natali die munus accipiebat phialam.

Athenodoro philosopho propter senectam commeatum postulanti concessit. Cum autem amplexus illum Athenodorus dixisset: Si quando in iram, Cæsar, exarseris, ne quicquam dicas faciasve prius, quam quattuor et viginti litteras tecum ipse recensueris, apprensa manu eius, Adhuc mihi, inquit, es necessarius, et retinuit hominem annum integrum, inquiens, quod et silentii sunt tuta præmia.

Accepto, quod Alexander duos et triginta natus annos magna iam orbis parte potitus dubitaverit, quid esset reliquo tempore acturus, mirabatur, quod non negociosius esse putaverit Alexander ordinare grande partum imperium, quam parere.

Lata de adulteriis lege, in qua definitum est, quemadmodum eius criminis reos iudicari et deprehensos puniri oporteat, postmodum ira percitus adolescentem ob Iuliam filiam insimulatum manu pulsabat. Is cum exclamasset: «Legem tulisti, o Cæsar», adeo pœnituit, ut die illa cibum non sumeret.

Caium ex filia nepotem in Armeniam mittens deos orabat, ut eum benivolentia Pompeii, animus Alexandri, fortuna sua sequeretur.

Romanis imperii successorem dicebat se relicturum, qui nondum de ea ipsa re bis cogitasset, Tiberium significans.

Adolescentes dignitatibus præditos cum aliquando componere vellet tumultuantes, illi vero parum adverterent, sed tumultuarentur: «Audite, inquit, juvenes senem, quem senes [1]) [juvenem audiverunt.

Quod peccasse aliquid videbatur populus Atheniensis, ab Aegina scripsit ad eum: Existimo non vos fallere me irasci vobis; alioqui enim non exegissem hiemem Aeginae. Aliud nihil vel dixit eis vel fecit.

Cum unus de Euryclis accusatoribus effusius libertate dicendi et ad fastidium usque usus, ad haec verba prolapsus esset: Si haec tibi, Caesar, non videntur magna, recitare eum mihi jube septimum Thucydidis. Iratus Augustus cum se inde auferre jussit. Audiens autem esse eum de Brasidae posteris superstitem, accivit verbisque mediocriter castigatum dimisit.

Pisone domum a fundamentis usque ad summum tectum accurate exaedificante: Animum, inquit, exhilaras meum, ita aedificans, ac si Roma sit futura sempiterna.]

[1]) Itt végződik a lipcsei kéziratnak utolsó, 42-ik (a régi lapszámozás szerint 41-ik) levele. A fordítás hiányzó részét a Didot-féle kiadásból (Parisiis 1841) pótoltam.

LEGATORUM REGIS JOANNIS EPISCOPI QUINQUE-ECCLESIENSIS ET MAGNIFICI JOANNIS DE ROZGON AD SUMMUM PONTIFICEM PAULUM II.

Cui de felici in Vicarium Christi elevatione gratulantur. Deinde Turcarum potentiam in dies invalescere ferunt, cuius impetum cum Rex auxiliorum spe fretus et pollicitationibus allectus suis solum humeris hucusque sustinuisset, illum tandem succumbere debere significant, nisi aliis viis et modis, quam hactenus, eidem mature succurratur.[1])

Beatissime Pater etc. Si occupatam plurimis et maximis nego-

[1]) Kiadta ezen beszédet Koller (Hist. Episc. Quinqu. IV. p. 134—140) «Ex cod. Epistolarum Matthiae Corvini MS. Apographo Palffiano inter epist. Num. 50.» Ugyancsak ezen beszéd nagyon eltérő alakban megvan Mátyás király levelei kiadásaiban is, honnan Teleki fölvette Janus Pannonius kiadásába, II. p. 58—66. Hogy a Telekinél közlött beszéd tulajdonképen két külön beszédből áll, kitünik következő szavaiból (p. 63., 64): «Haec est prima, B. P., adventus nostri causa hodierno die breviter explicata; de iis, quae multae et item magnae restant, parati sumus mox dicere, loco et tempore per T. B. assignandis. Alteram legationis nostrae partem hodierna die B. P. repetituri et latius explicaturi advenimus stb.» Világos, hogy e két mondat nem tartozhatik egy beszédbe. A szónok küldetésének két oka volt; az egyik, hogy az új pápát királyának nevében üdvözölje, a másik, hogy a pápától a törökök ellen segítséget kérjen. Az előbbit a nyilvános audientiában fejezte ki, az utóbbit (altera legationis pars = causae quae multae et item magnae restant) a pápa által később meghatározandó időben akarta elmondani. A magánaudientián tartott ezen második beszédnek elejéről való az imént idézett mondatok utolsója: «Alteram legationis nostrae partem stb.» Hogy a kérdéses beszédnek Telekinél közlött alakja tényleg nem nyilvános audientián lett tartva, hanem a magánaudientián tartott beszédnek (Telekinél I. p. 66—69) eltérő fogalmazványa, mutatja nemcsak az egész gondolatmenetnek, hanem egyes nagyobb helyeknek is azonossága; így pl. mindkét fogalmazványban előfordul ezen rész (Telekinél II. p. 65): «Duobus his praeteritis annis inclytus rex noster, magna auxiliorum spe ductus demum a nemine fere adiutus, propriis viribus, non tam pro se quam pro omnibus bellum gessit; inimici exercitus aliquoties fudit; hostilem terram devastavit; Boznam feliciter recepit, fortissime servavit, ac multa alia rei publicae

tiis S. vestram [2]) longiore [3]) et nos sermone moraremur, plus fortasse publicis commodis impedimenti, quam clementissimis auribus suis [4]) molestiae ingereremus, proinde causas adventus nostrí magnas illas quidem, et facundiæ capacissimas [5]) quam succinctissime proferemus. Cum Serenissimus Hungarorum Rex castris adversum Turcas [6]) æstate præterita amotis, [7]) inter ipsa Regni sui

Christianae salutaria edidit, sui claritate longe notiora, quam ut a nobis in praesentiarum debeant enarrari. In his omnibus tam brevi tempore plus laboris et expensae sustinuit, quam integro quinquennio ad privatam defensionem insumsisset.» — Kétségtelennek tartom azt is, hogy a magánaudientiában tartott beszédnek Telekinél (p. 64—66) tévesen mint a nyilvános audientiában tartott beszéd második fele közzé tett alakja a nyilvános audientián tartott beszédnek azon fogalmazványához tartozik, melyet e helyen Koller nyomán teszek közzé; a magánaudientián tartott beszédnek Teleki által p. 66—69 közzé tett fogalmazványa pedig a nyilvános audientiában tartott beszédnek Telekinél p. 64—66 olvasható fogalmazványához tartozik. Érveim a következők: A nyilvános audientiában tartott beszédnek Koller-féle fogalmazványában Janus Pannonius küldetésének első oka bövebben, második oka rövidebben van kifejtve, miért is avval végzi a szónok, hogy: «Hae sunt B. Pater adventus nostri causa (!); Quarum posterior si proposita magis quam exposita videtur, parati sumus plura mox super ea re et audire et respondere loco et tempore per V. B. assignatis (!).» Nyilván e szavakra vonatkozik a magánaudientián tartott beszédnek Telekinél p. 64—66 lenyomatott fogalmazványának eleje: «Alteram legationis nostrae partem hodierna die B. P. *repetituri et latius explicaturi* advenimus.» Ellenben a «nyilvános» beszédnek Teleki-féle fogalmazványában (II. p. 58—63). Janus Pannonius küldetésének második okáról szó sincs, és csak innen magyarázhatók véleményem szerint a «magán»-beszéd második fogalmazványának (p. 66—69) következő szavai (p. 67): Nunc ergo alteram legationis nostrae partem principalem, quae est super facto fidei, *breviter exponemus.*» Hozzá járul még, hogy ezen második fogalmazványnak «rogat S. T. consideret necessitates suas, consideret imminentis periculi magnitudinem, tantumque ei oneris imponat, quantum humeris sustinere potest» szavai (p. 67) megegyeznek a «nyilvános» beszéd Koller-féle fogalmazványának «Orat et obtestatur Beatitudinem tuam, quanto potest studio, consideret necessitates suas, consideret imminentis periculi magnitudinem, et omnia quae vel ex virium suarum tanto oneri haud quaquam pari mediocritate vel ex aliorum negligentia sequi possent, ante oculos sibi ipsi proponat» szavaival, már pedig hihetetlen, hogy Janus Pannonius csaknem közvetlenül egymás után következő két beszédében saját magán oly annyira szembe ötlő plagiumot akart volna elkövetni. — A két eltérő fogalmazvány melyikét mondta el Janus Pannonius, nem tudom meghatározni.

[2]) tuam *T*[elekinél]; [3]) longiori *T*; [4]) suis *T*; [5]) causam ... magnam illam ... capacissimam ... *T*; [6]) Turcos *T*; [7]) iam motis *T*, helyesen;

et hostilis terræ confinia Pium Pontificem [8]) rebus humanis excessisse cognovisset, sane pro eo, ac debuit, mæstus aliquandiu [9]), et animi dubius permansit. Verebatur siquidem inter alia id potissimum, ne sanctum [10]) fidei ab illo viro ingenti spiritu et satis amplo conatu inchoatum tepesceret. Nesciebat, qua iam ulterius fiducia cæptam [11]) expeditionem prosequeretur, eo, unde promissa expectabantur subsidia, qui belli sibi et suscipiendi gravissimus auctor fuerat, et suscepti certissimus adiutor fore sperabatur, extincto, cum interim longe iucundior fama insonuit Paulum Secundum cognominis Petri cathedram obtinuisse. Quo nuncio quasi vespertinum fletum matutina excipiente lætitia, discussere continuo spes metum, gaudia mærorem, [12]) nec quisquam dubitavit speciali Spiritus Sancti afflatu Ecclesiæ Dei de tali pastore provisum, quem omnibus virtutum numeris præditum, olim summum principem natura ipsa designasset, qui sapientiam, qui animi magnitudinem factis magis præ se ferret quam dictis. Sed hæc una et communis erat cunctis gentibus exultandi ratio. At regem nostrum cum universis pariter nostratibus etiam peculiaria quædam exhilarabant. Sciebat [13]) Beatitudinem tuam amplissima Venetiarum urbe oriundam, et patriæ, ut par est, amantissimam, cives suos, socios nostros et eodem, quo nos, in discrimine sitos, minime deserturam. Meminerat, qua benevolentia, quantis [14]) favoribus sacratissimæ recordationis Eugenius Papa Quartus, prædecessor et propinquus tuus, illustrem quondam parentem suum Christiani tum populi in Turcas [15]) ducem ac totam gentem Pannonicam fuerit prosecutus; nec ambigebat cognatam te erga nos et humanitatem et liberalitatem imitaturum. Imo difficilior rerum [16]) conditio et tua singularis benignitas B. P. qua ut omnes ita etiam gentilem tuum pontificem superasti, facile maiora de nepote promittebantur [17]) filio, quæ [18]) præstitisset avunculus genitori. Hæcce [19]) regem nostrum adhortabantur suo erga Sanctitatem tuam et Sedem Apostolicam officio quam primum satisfacere; quod profecto et fecisset, nisi gravi et longinquo bello destitutus [20]) abfuisset; ubi vero intractabili anni

[8]) Pium Pontificem felicis memoriae *T*; [9]) moestus aliquamdiu *T*; [10]) factum *T*, helyesen; [11]) coeptam *T*; [12]) moerorem *T*; [13]) quaedam praeterea exh. Sc. quippe B. Tuam, *T*; [14]) Mem. benevolentiam quoque, quantis *T*; [15]) Turcos *T*; [16]) Immo diff. hodie rer. *T*; [17]) promittebant *T*; [18]) quam *T* helyesen; [19]) Haec *T*; [20]) districtus *T*, helyesen;

sydus, et hyberna [21]) tempestas intermittere coëgit militiam, nihil prius studuit, quam honestissimo isto fidelium principum instituto perfungi. Primum igitur B. T. dignitati tota mentis devotione [22]) gratulatur; commendat se et suos ad pedum oscula beatorum; ac remota omnis conditionis invidia maiorum suorum sinceritatem secutus, [23]) tibi tanquam vero Christi vicario, puram [24]) plenam et canonicam offert obedientiam, [25]) merito vicissim expectans regni sui libertates, et bonas ac vetustas consuetudines in suo vigore perstituras. Illud deinde proximo loco et ad se pertinere et necessarium esse duxit, quo in statu sua et omnium Christianorum res sita sit, tuæ declarare Sanctitati. Quapropter admonet: Hostem ingenio ferocem, opibus potentissimum, nihil minus, quam de quiete cogitare, in dies magis ac magis insolescere, et immaniora moliri: se primis ingressum vestigiis regnum suum iam colluctatione fatigatum pro religione catholica devovisse, satis et alias pro tuendis finibus labores impendisse, verum hoc biennio ingenti auxiliorum spe fretum, et magnis pollicitationibus allectum omnem fere belli impetum suis humeris sustinuisse. Orat, et obtestatur Beatitudinem tuam, quanto potest studio, consideret necessitates suas, consideret imminentis periculi magnitudinem, et omnia, quæ vel ex virium suarum tanto oneri haudquaquam pari mediocritate vel ex aliorum negligentia sequi possent, ante oculos sibi ipsi proponat, ac maturius et uberius opportunioribus viis, melioribus modis quam cæteri hactenus conati sunt, Reipublicæ Christianæ, cui præesse meruit, consulat cum effectu. Quod quum S. T. ultro facturam confidit, more solito, omnes suas et suorum fortunas ac regium insuper caput, id quam necessario patriæ debet, sponte fideî pollicetur. Hæ sunt B. Pater, adventus nostri causa (!). Quarum posterior si proposita magis, quam exposita videtur, parati sumus plura mox super ea re et audire et respondere, loco et tempore per V. B. assignatis. [26])

[21]) sidus et hiberna *T*, helyesen; [22]) affectione *T*; [23]) a «maiorum s. sinc. secutus» szavak hiányoznak *T*-ben. [24]) vicario, tam suo quam regni sui nomine puram *T*; [25]) az *obedientiam* szótól kezdve a Teleki-félc szöveg a mienktől annyira eltér, hogy össze sem hasonlítható vele. [26]) talán *assignandis?*

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Ja. tt. S. Grisogonii pb. Cardinali Papiensi domino mihi honoran.

Joannes QQ*n.* [1])

Reverendissime in Christo pater. Scribit mihi reverendissima p. v. pro reverendo patre domino Thoma Episcopo amicissimo suo, cui contra efficacia et apperta iura super ecclesia Zagrabiensi lis et vis etiam illata sit, nec esse æquum, bonum patrem ab ecclesia sua eliminatum vagari fere ut mendicum. Ceterum me, si modo velim, efficere posse, ut causa hæc æquabiliter componatur. Equidem, reverendissime pater, ceteri quid egerint, ipsi viderint. Ego pro me ipso recta fronte respondeo, quod per me nec lis ulla, nec vis domino Thomæ, aut cuiquam illata est; lis si illata fuisset, in curia romana et in vestris auribus verti debuisset; de vi supervacuum est loqui, cum ipse dominus Thomas non violenter ab ecclesia sua eliminatus, intra cuius limina fortassis nunquam fuit, sed cum domi manere honorifice posset, sua sponte præter honestatem ordinis vanus mendicat, nec ego cum eo quicquam unquam commercii habui, præterquam quod causam suam eius qualemcunque semper ut arbitror, sustentavi potius, quam perturbavi, non tam acceptione personæ ipsius, quam gratia ecclesiæ Zagrabiensis sine alterius iniuria liberandæ. Nunc quoque quid egerim, testis est reverendus pater dominus Marcius [2]) Episcopus Tininiensis, et pristini propositi mei, et præsentium laborum conscius; sane omnia me apud regiam maiestatem posse, invidiosum dictum est, cum Serenissimus dominus noster Rex et per se sapiat satis, et consiliarios habeat complures momenti maioris, et ego tam nimium posse ne opto quidem. Quantulacunque tamen potentia mea sit, abuti ea

[1]) Kiadta a codex helyesírása megőrzésével Koller i. h. p. 191—192 «Ex Cod. Epistolarum Matthiae Corvini MS. Coaevo Bibliothecae Posoniensis S. J. ep. 18.» Ugyanazon műben (p. 206—219) le van nyomatva egy «Formulare Litterarum Johannis Episcopi Quinque-Ecclesiensis. Ex Cod. MS. Coaevo a Thoma de Nyrkallo exarato, quod adservatur in Bibliotheca Episcopali Quinque-Ecclesiensi», de minthogy ezen Formulare aligha Janus Pannonius műve és ránk nézve különben sem bírna érdekkel, fölöslegesnek tartottam e helyen újra kiadni.

[2]) Így *Marcus* helyett.

nolim. Vestra vero p. r. omni laude dignissima est, tum propter alia, tum ob hoc præcipue, quod miseris compatitur, et pro amicis tam studiose laborat; si enim domino Thomæ talem se exhibet advocatum et protectorem, palam ostendit, si quis alius eo non inferior amicitiam v. r. p. meruisset, merebiturve, quid pro eo fuisset, sitve[1]) factura. Quam omnipotens Deus servet incolumem et felicem. Datum.

Galeotus Martius Narniensis Reverendissimo in Christo patri Domino P[rothasio] O[lomucensi] E[piscopo] Sa[lutem]. [2])

Nescio quibus verbis debeam meam rusticitatem purgare; iam enim triennium elapsum est, et nullas Galeotti tui litteras vidisti. Nec confugiam ad illam vulgatam inertiæ purgationem, quæ ideo non scripsisse autumat, quia defuerunt nuncii. Tu enim ita et familia et litteris et dignitate clarus es, ut multi etiam me invitarint et incitarint ad scribendum, et fecerunt, ut non daretur ad illud purgationis genus confugium, nec occupationes meæ tanti fuerunt, ut me ab officio pietatis et observantiæ averterent. Sed unum me hucusque detinuit, hoc unum duntaxat, sperabam propediem te videre; animo enim meo proposueram prius Hungariam et Quinque Ecclensiensem adire et mandatis insistere, postmodum ad te iter meum dirigere; — et quia homines ætas et liberi et uxor reddunt tardiores impeditioresque et minus strenuos, dum me ad iter paro, dum familiam colloco, abiit annus et eo amplius. Quapropter, vir excellentissime, non potui id efficere, quod conditionem naturamque meam respiciebat. Non enim ita rerum sum ignarus, ut hæc non cognoscerem; scio enim, quid est primarii viri et integerrimi et litteratissimi habere commercium. Nam, deum testor, postquam inter homines versatus sum, nescio quem viderim, quem tibi conferrem; et hanc opinionem meam auxit dominus Varadiensis, qui te semper in ore habet, te semper nominat, te admiratur, adeo, ut sæpe de te sit sermo. Laudat enim et linguæ elimatæ elocutionem et vitæ integritatem et in agendis rebus solertiam et perspicacitatem, te semper patriæ columen vocat et dicit, ego autem ea de te dico,

[1]) *sitne* a codexben.

[2]) Galeotus Martius, Janus Pannonius és Prothasius olmüczi püspök eme levelezését a cod. Vindob. lat. nr. 3201-ből közlöm; először kiadtam a kézirat helyesirásának megőrzésével az «Egyetemes Philologiai Közlöny» ben III. p. 1—6.

quæ sentio, sentio enim optima et maxime gaudeo mihi contigisse tanto viro fuisse adiumento. Nam lectionum mearum ruditatem acumen ingenii tui excipiebat et id efficit, ut ingenium discipuli in laudem refundatur præceptoris. Multa legimus, vidimus multa simul, et paucos auctores dimisimus intactos. De his hactenus. Vir præstantissime, supplico ut monumentum et pignus amoris a te habeam, et mihi de fortuna tua inpartiaris aliquid, ut et mihi sis opulentus iam auxilio, cum fueris in mediocri fortuna liberalissimus. Nam mihi iocundissimum erit, cum a te amari videar, non tantum ipso munere, quantum ex te dari, et cum in Italiam pervenero, aliqua animi mei significatione [1]) ostendam profecto recte ac sapienter fecisse eos qui te coluerint et observaverint. Vale.

P[rothasius] O[lomucensis] E[piscopus] G[aleoto] M[artio] N[arniensi] preceptori suo sa[lutem].

Si te hoc præceptoris nomine inscribo, ne erubescas, amantissime, nec mentem alio flectas, ad assentationem videlicet, sed me in hoc verbo ut ceteris metiaris. Dignitas enim in me nunquam tanta erit, que efficere valeat, ut immemor fiam mei tuique. Tenet me enim vulgata illa sententia, diis, parentibus ac præceptoribus æquale reddi non posse. Et mihi crede non esse, fuisse, nec contingere aliquam fortunam honoris aut emolumenti, cuius tu saltem in mente particeps non efficiaris. Nunc ad litteras tuas, quæ mihi et ea die, qua et nostri Quinque Ecclesiensis redditæ sunt, quibus purgatione acuta more Galeotti uteris, te ad me litteras non dedisse. Ego vero cui similia suffragari possent, ad ea confugere nolo, simpliciterque dicam me in ea parte, (utinam sic bene in ceteris) more egisse probi discipuli, qui præceptoris sui, aut eius quem sequitur non tantum laudata, verum et aliqua vituperanda imitatur. Tu enim nedum in me, verum etiam in alios pestem illam non scribendi immisisti, qua detentus non scripsi. Volo igitur pro ea parte aliter me instituere, te, ut similiter facias, oro. Laudes tuas relinquo, pro tuis in me tibi grates habeo, agamque, ne dubites: monumentumque cum amoris pignore prestabo, tantum ad me veni; si autem venire non valueris, mihi per cursores occurrentes notifica. Et cum intra me multa volvam, qua re donatus a me contentus discedere

[1]) significationem C[odex].

valeas, nihil invenio præter aurum, quod tibi semper carum fuit. Nisi iam numerum per te et tibi destinatum complevisses, credo iam crescente familia crevisse et famem. Ut igitur illa ex parte expleatur, postquam venies, centum aureos tibi donandos mecum reperies, bonus vicinus (?). Quare vale. Ex B. XV. Kal. Maias, M° CCCC° LXI°.

Jo[annes] E[piscopus] Con[firmatus] Quinque Ecclesiensis Reverendissimo domino P[rothasio] E[piscopo] O[lomucensi] Salutem.

Optavi iam dudum, vir amantissime, tecum aliquando versari conspectuque [1]) tuo iocundissimo frui, ut consuetudinis nostræ vinmus[2]) cula, quæ iamlaxata videbantur, vehementius fortiusque retineremus et nova quædam semina ac fundamenta iaceremus, ut cum scolastici olim coniuncti fuerimus, ætas iam et dignitas maior redderet coniunctiores. Sed aliis negotiis distracti non potuimus simul aliquando esse, quod mihi eo fuit molestius, quo meum hoc votum causam præbuit, ut vicissitudo cessaret litterarum. Nullas enim ad te dedi, sperans, te vera voce sermoneque vivo alloqui, et illam nostram ac veterem familiaritatem novo quodam gaudio novaque hilaritate et recensere et excitare; quod cum in præsentiarum desperetur, reliquum est, ut te ea qua possum voce alloquar, hoc est litteris, quæ vicem sermonis apud te mei explebunt. Amice mi suavissime, plurimum tibi et debui et debeo, me enim ita laudibus ac præconiis extollis, ut omnes una voce et præsertim Varadiensis prædicent, nihil tibi me fuisse carius: quod quantum laudis afferat, testis est Horatius: Principibus placuisse viris non ultima laus est. Pro quibus omnibus tibi etiam atque etiam debeo; hæc enim tanta benivolentia est, ut nihil addi possit. Quapropter huic rei non potero vicem reddere, nisi ea te benivolentia complecti, qua tu me, et me ad ea parare, quæ tibi conducere arbitror. Ita debeo, ita faciam. Nam quæ a me unquam in te profecta sunt, officia, tua autem in me merita fuisse, quis dubitat, cum ex cumulo benivolentiæ in me tua exisse appareant? Vale. B[ude] VII. Kal. Apriles M CCCC LXI°.

P[rothasius] O[lomucensis] E[piscopus] fratrem ac amicum carissimum do[minum] Jo[annem] Quinque Ecclesiensem salutat.

[1]) Conspectumque *C.* [2]) Retinent *C.*

Litteræ tuæ Kalendis Aprilibus per tabellarium castellani Trenchini redditæ sunt, quibus respondere cum vellem, supervenerunt aliæ Regis mei, ut una cum collegis ad hoc deputatis in Bro. Nonis Aprilibus constituerer pro concludendis tractatibus inter se ac serenissimum Regem Hun[gariæ] habitis. Credens te in aliquo loco vicino offendi, rescribere tardavi; spe frustratus, ut valeo, scribo. Scribis te dudum optasse consuetudine nostra tam trita frui, ceteraque tuæ humanitatis verba. Non mihi opus est verbis, testes citare possum, quanto fervore ea ipsa desideraverim, quæ per te narrantur; nec puto me unquam aliquem tibi notum vidisse, a quo non inquisiverim singula, quæ per te aut pro te agerentur. Scit ipse pater communis noster Varadiensis, quantum illum oraverim, ut cooperaretur, etsi non alia causa, saltem mei contemplatione, te in aliqua legatione Regis tui mitti. Ego vero, si etiam ad legationis officium pro eo tempore non essem designatus, efficere tantum vellem, ut tui gratia designarer. In hoc usque tempus nihil efficere valui, nec litteras saltem dedi, ut et ego ea te ipsa, qua tu me, voce alloquerer; non alia causa præter hanc rerum turbationem, quibus semper anxius fui, tum Regni christianissimi motu, tum amicorum in eo degentium gratia, vixque iam re perfecta altissimo cooperante respiravi. Quantum et ego tibi debeo, mi amantissime, Jo[annes], pro his, quæ ultra debitum tuum in me accesserunt, utque sileam participatas mecum litteras, labores cum vigiliis mecum tuos, hoc certe dicam, monendo ut desistas, qui me ultra merita mea singulis effers, tantique facis, ut apud omnes efficiar minor ipsa infamia [1]) vero. Vide igitur, quis alterum amando superet: egone, qui vera de te prædico, an tu qui de me falsa. Deus igitur optimus, qui nos ætate dignitateque pares fecit, te virtute prætulit, amoremque hunc mentibus nostris infudit, conservare dignetur pro honore Ecclesiæ sanctæ suæ. — Galeottum nostrum tecum esse ex litteris suis accipio, quare illi has ad te mitto. — Si habes Elegantiolas Laurentii Vallæ cum Invectivis in Poggium, quas mihi Patavii accomodaveras, cum aliquo certo cursore aut alio transmitte. — Dominum Electum Nitriensem non vidi; te si affuisses, vidissem. Vale, et patrem nostrum Varadiensem saluta, ac mei ex parte ora, ut casum meum, qui mihi est cum legato Imperatoris Reverendis-

[1]) A codexben talán *insania* van.

simo domino meo legato declaret ac supplicet: si ultra ea quæ hactenus in me facta sunt, quis temptare vellet, ut se mihi defensorem paret. Velant enim nomine culpam inobedientiam mihi ascribentes, res tamen animorum alia non est preter eam qua culpor amicitia Regum inservisse. Iterum vale; me valere scias. Ex B. XV Kal. Maias 1461°.

Johannes Pañnonius[1]) *prudentissimo Juris consulto Bartholomaeo Cevolae*[2]) *Veronensi Sal.*

Jure [3]) fuit nobis niveo [4]) notanda lapillo,
Jure beata fuit, Bartholomæe, dies,
Qæ nos alitibus faustis et sidere dextro
Notitiae primos fecit habere gradus,
Ac duraturi vinclo religavit amoris, 5
Quem faciam, quanti dicere lingua nequit.
Hunc ego nec claris dubitem præferre smaragdis,
Quos legit in rubro gurgite nudus Arabs;
Hunc ego congesti præpono montibus auri,
Quos habuit Crœsus, quos Phrygis aula Midæ [5]); 10
Hoc sine flos nobis violæ puteret olentis,
Hoc sine dulcedo mellis amara foret.
Non hoc desposito Siculis in ruribus [6]) optem
Jugera [7]) fecundi mille tenere soli;[8])
Non digitis Hebes [9]) porrectum haurire liquorem, 15
Ipsius in solio non residere Iovis.
Dum calido nostræ fervebunt sanguine venæ,
Dum mea vitalis spiritus ossa reget,
Huius amicitiæ stabit venerabile fœdus,
Narrabunt nostram sæcla futura fidem. 20
Nec plus Tyndaridæ clarissima sidera fratres,
Hic agilis frenis, cestibus ille potens:
Nec plus Aegides, nec plus Ixione natus,
Nec duo per Samium pectora docta senem;
Nec cum Patroclo plus laudis habebit Achilles, 25
Nec Diomedeus cum Polynice parens.
Euryalum [10]) veniens extollere desinet ætas,
Et tuus in tenebris, Nyse, iacebit honos.

[1]) A költemény a cod. Ambros. + 26 sup.-ból van véve. — Panonius *C*; [2]) Bartolameo Cevole *C*; [3]) ure *C*; [4]) icliore (?) *C*; [5]) Myde *C*; [6]) furibus *C*; [7]) iugere *C*; [8]) solli *C*; [9]) habes *C*; [10]) Eurilium C;

Vilis et Aeneas, et vilis fiet Achates,
30 Nec feret his ullam Musa Maronis [11]) opem.
Sordebit Strophio genitus, sordebit Orestes,
Utpote quos vatum fabula falsa canit.
Iunctus Alexandro concedet Hephæstio nobis,
Sit licet antiqua nobilis historia.
35 Ipse Epaminondas [12]), Pelopidas ipse peribit,
Parva est Romanis fama futura viris.
Nostra secuturos acuent exempla nepotes,
Cætera non magnæ nomina laudis erunt.
Sed cum tot latæ dirimant confinia terræ,
40 Quis venit ex ista fructus amicitia?
Vivimus absentes [13]), nec amatos [14]) cernere vultus,
Nec dare, nec verbis [15]) reddere verba licet.
Quod loqueris mecum, solæ sunt causa [16]) tabellæ,
Qud mea dicta legis, littera sola facit.
45 Te dulcis Verona tenet, nos obsita servat
Aëre nubifero Ferrariensis humus;
At bene consuluit nostris sors prospera votis,
Stabimus, ut spero, proximiore [17]) loco;
Accipiet duplices unum navale carinas,
50 Et geminas idem nidus habebit aves.
Ecce parat patrias remeare Guarinus ad arces;
Non potero tanto non comes esse viro.
Evolet algentes Scythiæ glacialis ad oras, [18])
In Scythiam nobis ille sequendus erit;
55 Vadat ad æstiferas Libyæ ferventis arenas,
In Libyam nobis ille sequendus erit;
Naviget ad Mauros, ad Mauricas [19]) ibimus [20]) urbes;
Persidos [21]) arva petat, Persidos arva petam.
Nedum Veronam secum migrare recusem;
60 Hanc ego vel patria malo videre mea.
Ergo tui nobis, fiet tibi copia nostri;
Illa erit, illa sacris annumeranda dies.
Tunc [22]) tecum longis ducam sermonibus horas;
Plurima tunc tecum tempora lætus agam,

[11]) Moronis C; [12]) epaminundas C; [13]) abscentes C; [14]) amates C; [15]) vtibns (vocibus helyett?) C; [16]) causti C; [17]) proroximiore C; [18]) adonis C; [19]) mainas (?) C; [20]) ibus C; [21]) Persides C; [22]) Tonc C

Et quam nunc absens scriptam tibi mitto salutem, 65
Tunc præsens vivo cominus ore feram.
Tunc Athesim faciam citharas audire sonantes;
Qua [23]) nunc Alpini perstrepit unda [24]) Padi,
Istuc Pierides, istuc transibit Apollo,
Et cum thyrsigero [25]) docta Minerva [26]) deo. 70
Istuc [27]) incipiam mansuras quærere laudes,
Ut clarus titulis multa per ora volem.
Sed quid [28]) me famæ tenet ambitiosa cupido?
Inrita de stolido pectore cura cadat.
Iam Verona parens nos ornat [29]) honoribus amplis, 75
Quos nec Thespiades promeruere deæ.
Sit tibi propitius cum divis omnibus æther,
Sit pro collatis gratia magna bonis!
Te celebres nostræ fiunt præcone Camœnæ,
Per te nostra satis Musa favoris [30]) habet. 80
At quæ pro meritis referam tibi commoda tantis?
Unica pro rebus reddere verba pudet;
Reddere verba pudet, sed verba rependere oportet:
Hæc vis in nostro pectore sola viget.
Deme labris linguam, remanebit inutile corpus, 85
Debilis et nullis usibus aptus ego.
Scilicet Eoas vagus offert navita merces,
Offert picturas pingere docta manus,
Cui satis est auris, tribuendo est largus in auro,
Cui satis est pecoris, mille [31]) dat ille pecus, 90
Pampineis dulces mittit de vitibus uvas,
Cui bona Baccheas vinea fundit opes;
Arboris fructus mittit cum suavibus herbis
Messibus [32]) his si quem fertilis hortus [33]) alit;
Et donat pisces, didicit qui prendere pisces; 95
Donat aves, didicit prendere quisquis aves.
Agricolæ fruges sunt munera, [34]) militis enses,
Venantis captae casse latente feræ.
Nos quoniam Phœbus [35]) docuit leve fingere carmen,
Et rude [36]) quod rauca concrepuisse [37]) lyra, 100

[23]) Quis C; [24]) unde C; [25]) tirsigero C; [26]) menerva C; [27]) Istic C; [28]) qui *C*; [29]) ornata C; [30]) favoribus *C*; [31]) melle C; [32]) Mesibus C; [33]) ortus C; [34]) nūa C; [35]) phorbus C; [36]) rucle C; [37]) concropuisse C;

Præstamus caris tantum leve carmen amicis,
  Et rude cum crepuit si quid inepta chelys.
Hoc est quod [38]) de me pretium carissime speres ;
  Cætera fortunæ conditione iacent.
105 Scripta modo . . . . . senecta, [39])
  Nomen in ore tuum posteritatis erit.
Te sine non prosam, sine te non carmina scribam, [40])
  Te sine non pacem, non fera [41]) bella canam.
Vale.

Tetrastichon [1]) *Jani Pannonii in cl. v. Guarinum Veronensem.* [2])

Interpres Graios transfers, Leonarde [3]) libellos,
  Poggius Arpinæ sectatur fulmina linguæ,
Blanda Panormigenam [4]) delectant carmina vatem,
  At, Verona, tuus transfert, canit, orat, alumnus. [5])

Joannis Pannonii epitaphium in Leonellum Ferrariae Marchionem.

Hoc decus Hesperiæ Leonellus Marchio gentis
Est situs in tumulo, quo sceptra tenente quietem
Omnis tranquilla populus sub pace tenebat,
Et vetus astrifero remearat ab æthere virgo.
5 Infantes, pueri, iuvenesque virique, senesque,
Hunc lugete ducem, toto qui præsul in orbe
Sæcula per Latias diffuderat aurea terras
Et clara priscos æquarat laude Quirites.

Threnos in eundem.

Pallas et aurata testudine pulcher Apollo,
Et quæ Pieriam colitis Libethrides arcem,
Et Pax, et mitis Pietas, et Vesta, Fidesque,

[38]) quid C; [39]) E sor el van rontva ; a kéziratban : Scripta modo (e szó javításban ?) unosam me fe[m] senecta ; [40]) scrib C ; [41]) fere C.

[1]) Tetrasticon *C.* [2]) Cod. Marc. cl. XII. cod. 135, közvetlen Janus Pannoniusnak Guarinushoz intézett panegyricusa után ; először kiadtam az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben III. p. 13. [3]) Leonardus Aretinus. [4]) Antonius Panormita. [5]) Guarinus.

Squalentes [1]) laniate comas, contundite pectus!
Italiæ lumen, princeps Leonellus, et ingens   5
Iustitiæ cultor, pius ac placidissimus heros,
Condidit æterno morientia lumina somno.
Vester hic in tanto pugil invictissimus orbe
Extitit, et summo vos semper honore colebat.

Eiusdem Tetrastichon [2]) *in Borsum.* [3])

Ipse suas laudes toto memoratus in orbe
Ponat Alexander, ponat et ipse Titus;
Gaude Estense genus! fœlix Ferraria gaude,
Maior Alexandro, maior et ille Tito est.

Eiusdem Epitaphium in Lazarum Marchionem Malaspinam.

Gente Malaspina deducens Lazarus ortum,
Hac cubat in parva contumulatus humo;
Qui quondam viridis primævo in flore iuventæ
Mortis inaudito procubuit genere.
Cum famulo nitidis sese exercebat in armis,   5
Nec galea, ut famulus, tempora tectus erat;
Curritur, et falsum pugnæ certamen initur:
Corruit inflictis unus et alter equis;
Pars galeæ anterior iugulum perrupit herilem,
Dum famulum præceps desuper urget herus.   10

Janus Pannonius Joanni Sagundineo suo salutem. Alloquitur Musam. [4])

Joannem pete, Musa, Chalcidensem:
Pontani hendecasyllabos poetæ
Ad nos mittere ne moretur, insta;
Illos nam cupio videre plus quam
Dilectam iuvenis cupit puellam;   5
Ut non insipidos nec invenustos,

[1]) squalentis *C*; [2]) tetrasticon *C*; [3]) Cod. Marcianus cl. XIV. cod. CCXIV.; először kiadtam az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben III. p. 14.
[4]) Janus Pannonius és Joannes Sagundineus ezen költői levelezését a cod. Marc. cl. *XII.* cod. LXXX-ból közlöm; először kiadtam az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben III. p. 15—18;

Sed quales tenero prius Catullo,
Aut Marso lepidove Martiali
Dictavit Iocus et levis Cupido.
10 Quodsi mittere forsitan gravatur
Pontani hendecasyllabos poetæ,
Saltem mittere ne suos gravetur.

Joannes Sagundineus cla. viro Janno Pannonio. Alloquitur Musam.

Fer nunc, Musa, tuo meoque Janno
Pontani hendecasyllabos poetæ,
Quos ardet nimium videre, nuper
Ut nobis lepidæ suæ Camœnæ
5 Docto pectore retulere. Quales
Gallum composuisse fervidumve
Flaccum credimus ad suos amicos;
Nam gemmas superant suo nitore,
Et splendent adeo sale et lepore
10 Plenæ, ut pulchrius elegantiusve
Illis non videatur esse quicquam.
Quæ sunt, mique fuere cariores
Omni chrysolitho [1]) magisque gratæ,
Quam sunt molliculæ procis puellæ,
15 Mellitis simul annuunt [2]) ocellis,
Ultro et lacteolas ferunt papillas
Perfusas Tyriæ rubore conchæ,
Illis nec renuunt utrasque collo
Circumferre manus velut tenaci
20 Sublimes hedera implicantur alni,
Inter quos Venus et puer Cupido
Immiscent teneras ioco querelas,
Et spirant pariter leves amores,
Quos illi penitus fovent medullis.
25 Verum, Musa, tuus meusque Janus
De me non nihil usque te rogabit;
Cui dicas precor invenustiorem
Me cunctis, quibus est potens amica,
Vitam perdere, non favente diva,
30 Diva, cui ferus est Cupido natus.

[1]) crisolitho *C*; [2]) anniunt C.

Nam quot, me miserum, dies amaros,
Quot plenas nivium gelusque [1]) noctes
Consumpsi miser ante dura longe
Stratus limina ferreæ puellæ!
Eheu, [2]) quas ego non preces? quibus non 35
Percussi liquidum ætherem querelis?
Sed nil [3]) profuit, et tamen futuri
Prudens ipse mali perire persto.
Heu demens in amore non secundo et
Me possum minus inde summovere. 40
Quare, Musa, tuum meumque Janum
Doctum sumere barbiton precare.
Quem tecum pariter tuæ sorores
Et frater prius Orpheo dederunt
Alcæooque Pindaroque magno, 45
Et plectro Aeolios modos eburno
Quam primum recinet, quibus relictis
Possim servitio gravi parumper
Connexum miser expedire collum.

Janus Joanni Suo Salutem. Alloquitur Musam.

Unde huc læta venis, Camœna? Numquid
A nostro remeans Sagundineo?
Agnosco in tenero sinu latentem
Pontani lepidum tui libellum,
Qui [4]) plus quam fueram precatus [5]) affers 5
Joannis [6]) pariter gerens tabellas.
O dulces lyricos et elegantes
Ac plenos salis et facetiarum!
Hos nobis dedit ille corrigendos?
Hos lima putat indigere nostra? 10
Tam sunt iudicio meo politi,
Tam belli, ut merito politiores
Ac bellos magis edidisse nullum
Nostris temporibus rear poetam.
Quod vero implacidæ iugum puellæ 15
Captivo gemit imminere collo,

[1]) geluque C; [2]) Heheu C; [3]) nihil C; [4]) talán *quae*-t kell olvasni; [5]) peccatus *C*; [6]) Jannis *C*;

Hoc fatum premit eruditiores,
Sævo [1]) ut semper amore macerentur,
Nec Phœbus magis aut pater Lyæus
20 Illis, quam puer imperat Cupido.
Nec sane mea tam potens Thalia est,
Ut magnæ Veneris levet catenas [2]),
Quæ Martis validos ligant lacertos,
Et telo spoliant Iovem trisulco.
25 Ipse, inquam, potius lyra sonanti
Blandas, eia iterum canat querelas,
Exoretque sibi [3]) suam puellam:
Infernum prece mitigavit Orpheus.

Joannes Sagun. Janno viro clarissimo Salutem. Alloquitur Musam.

O dulci mihi basio puellæ
Longe dulcior, o magis medullis,
Ac plus luminibus meis amanda!
Quos nuper mihi, Musa, reddidisti,
5 Ut vidi hendecasyllabos, ut illos
Læto pectore centies relegi!
Ut sum, Juppiter, osculatus illos!
Nam magnum fuerant mihi levamen
Tantarum, quibus hinc et inde curis
10 Infelix premor impotens: ubi me
Dilectæ memorem nimis puellæ
Torquet flammigero Venus flagello,
Et cunctos docuere me labores
Sub regno dominæ pati potentis.
15 Hinc ardet miserabiles mihi mens
Decantare elegos, velut Tibullus
Fecit, dum placitam sibi Neaeram
Exorare suis cupit camœnis;
Aut quales Phaoni puella Sappho,
20 Aut quales cecinit tibi, Corinna,
Indulgens nimium poeta versus;
Aut illis similes, ubi, Properti,
Tu te Callimachum vocas latinum.
Verum quid properas, Camœna? Siste,

[1]) scaeva *C*; [2]) cathenas *C*; [3]) *Exoret sibi que C*;

Nam quis muneribus quibusve [1]) donis 25
Te donem, meditor, nec invenire
Dignum quid meritis tuis queo; sed
Te mentem accipias meam loco ampli
Doni ac muneris instar, obsecramus
Et grates referas, Camoena, Jano, 30
Quod tantum tribuit meæ Thaliæ,
Quantum nec mereor, nec assequi me
Unquam posse reor labore stili,
Non si Castalio liquore totum
Immergat mihi pulcher os Apollo. 35
Finis.

Ad Nicolaum V. Pont. Max. de Homero traducendo. [2])

Alme Pater, merito cingit cui tempora mitra.
Et Petri solio divino numine regnas,
In nostras animas custos, pastorque benignus,
Cui sancti mores, cuique est sapientia prima;
Præcipis in Latium divinum vertere Homerum, 5
Infirmisque humeris tantum committere pondus
Non dubitas. Quis enim sacro contendere vati
Ausit, et illius nostris iam reddere carmen?
Nam qui Mæonio potis est subducere versus,
Herculis ille manu nodosam avellere clavam, 10
Iratoque Iovi candentia fulmina posset.
Desine me valido, pater ó, committere Atlanti!
Tam tenuis cervix vasto subsistere caelo
Non valet, atque humeri pondus iam ferre recusant.
Apta Gigantæis non sunt mea pectora pugnis, 15
Sed gruibus scævis rapior Pigmæus in altum.
Qua potero illius vario me flectere cursu?
Namque modo immissis lætus decurrit habenis
Et modo lora premit; medius modo frena remittens
Contendensque simul iusto moderamine currit. 20
Ac velut Oceano dicuntur flumina labi,
Cunctas per terras uno decurrere ab ortu,
Sic uno sacri vates nascuntur Homero,

[1]) *quisve* a codex. [2]) Cod. Dresd. D. 158.; vv. 1—34, 162—198 megvan Herschelnél *Johann Cesinge* (Serapeum XVI., 1855. p. 335—336., 350—351.); v. 16 talán *saevis*-t kell olvasni *scaevis* helyett; hasonlóan e költe-

Ora rigant illo, pater est atque omnibus idem.
25 Ille velut torrens montanis imbribus auctus,
Perrumpit pontes et saxa ingentia volvit;
Nunc minor est alveo, ripas nec fluctibus æquat.
Et modo sublimis cygnus se tollit in auras:
Nunc humilis paribus delapsus ab æthere pennis
30 Radit humum, medium gaudet nunc tendere cursum.
Instruit ille acies constanti pectore, et audax
Cælestes in bella vocat; tum corpora sancta
Perstringit ferro Veneris Martisque ferocis.
Principioque canit Chrysen pietate verendum
35 Pro nata fudisse preces Graiumque per omnem
Immissam populum pestem; tum iurgia regum.
Labitur hinc castris demissus ab æthere Somnus,
Concilium cogit Danaum navesque recenset.
Ob raptamque Helenam coniunx decernit uterque;
40 Fœdere post rupto Menelaus vulnera sentit,
Tydidesque petit cælestia corpora ferro.
Post Hecuba, ac matres placant tua nomina, Pallas.
Turbidus hinc Aiax sæuo simul Hectore certat,
Agmina et Hectoreo Danaum conversa timore,
45 Orantumque preces durus contemnit Achilles.
Tydide socio Troes explorat Ulysses,
Ostenduntque suas magno certamine vires
Post Danaum primi; sævit fortissimus Hector
Argivam in classem; Neptunus concitus acres
50 Iungit equos, Graiumque deus vi suscitat arma;
Protinus ipse pater divus flammatur et ira
Iunonem aggreditur, tristique absistere pugna
Neptunum iubet, ac Teucros hortatur Apollo;
Hectoreaque manu per naves spargitur ignis
55 Argivas Phrygius; Patroclus corripit arma,
Cædibus exultat, congressusque Hectore forti
Ille cadit, geriturque ingens pro corpore pugna.
Tum genitrix nato Vulcania contulit arma.
In pugnas aciesque ruit placatus Achilles.
60 Patrocli funus ludis celebratur, et inde
Hic rapit Hectoreum ter circum Pergama corpus;
At Priamo tandem redduntur corpora nati.

mény többi helyén is, hol *scaevus* előfordul; v. 42 *Hecubam* a co lex; — talán *numina!* v. 50 után a codexben vv. 56—58 következik; v. 55 *assistere* a codexben; v. 60 a codexben v. 61 után áll; v. 62 *primo* a codexben;

Carminis hic finis, tumulo cum clauditur Hector.
Hæc quater in senis libris cantantur Homero,
Quæ partim tragico tollit graviora cothurno, 65
Comœdo partim Vulcania pocula socco
Miscet, cælestum complentur et atria risu.
Ast ubi Achilleæ scribendis versibus iræ,
Temperat eloquium, mox rebus verba rependens
Venit Musa volens, rursusque in carmina vates 70
Fertur, et ipse novo pectus pertentat amore,
Et totidem libris errores cantat Ulyssis,
Altius incipiens, carmen maioribus orsus:
Dic mihi, Musa, virum, sacræ qui mœnia Troiæ
Diruit, hinc variis multisque erroribus actus 75
Novit et ingenium, multorum vidit et urbes.
Concilio quærunt superi, qua possit Ulysses
In patriam remeare suam, divamque Calypso
Linquere; mortalem formam mentita Minerva
Telemachum monuit miserum perquirere patrem; 80
Luxuriantque proci, pecudes armentaque cædunt,
Telemachusque patris iubet hos discedere tectis,
Et victum navemque parat, portuque recedit,
Nestoreamque Pylon petiit duce Pallade; multa
Hic audit; monitus Spartam se contulit; inde 85
Hospitio acceptus Menelai novit Achivos
Infaustas habuisse fugas, Agamemnona cæsum,
Errantemque patrem, tum Protea cuncta loquentem.
Hinc Iovis imperio pelago rate fertur Ulysses,
In mare, sed præceps Neptuni volvitur ira 90
Naufragus, et tandem Phæacum allabitur oris.
Tum nata Alcinoo famulas ad littora ducit,
Luditur inde pila, somnoque citatur Ulysses,
Accipit et vestem, defessaque corpora curat.
Orat et Aretem, regisque acceptus in aula, 95
Ah miser! Ogygies narrat discrimina terræ.
Ornatur navis, patriæ qua littora tangat;
Certatur discis; Veneris tam dulcia furta
Demodocus cantat, subversaque Pergama Troiæ

v. 64 *cantatur* a codex; v. 66 *comoedus* C; v. 68 C-ben v. 69 után áll; v. 70 *in*-t én adtam hozzá; v. 78 *diamque* C; v. 82 *hoc* C; v. 85 *Spartam* helyett *parte* C; v. 86 *Meneali* C; v. 88 *Prothea* és *loquuntur* C; v. 92 *alcinoe* C; v. 93 citatus? v. 96 *oggyges* C; v. 98 tam] tum? v. 99 *Demodicus* C;

100 Lotophagos Ciconasque simul scævumque Cyclopa,
Utribus atque datos ventos et prœlia narrat
Læstrygonum et duram gentem, Circesque venena.
Huius et admonitu nigras descendit ad umbras,
Vatis Tiresiæ sapiens oracula poscit.
105 Hinc repetit Circen, Sirenas remige surdo
Effugit, atque inter Scyllam scævamque Charybdim
Fertur et armentum Phœbi mactatur, et inde
Naufragus in ligno petiit te, diva Calypso!
Littore desertus patriæ dehinc condidit antro
110 Dona data, et formam solers capit inde senilem.
Palladis auxilio pastoris ludit in aula;
Munera Telemachus capiens Agamemnone raram
Sollicitus patriam repetit, novitque parentem
Errorisque sui narrat fastidia matri;
115 Imprimisque canis simulatum novit Ulyssem.
Pauperis hic habitu certat, cum pauper in aula
Arma parat; purgatque pedes dum sedula nutrix,
Arguit ignotum subito tum visa cicatrix.
Contendit veteres arcus, letoque procorum
120 Innovat, et famulæ pendunt pro tempore pœnas.
Coniuge Penelope gaudet, gaudetque Laertes.
Sic varius vates variis sua carmina linguis
Ludit, et Ionio tornat modo nomine versus,
Aeolicusque modo, modo Doricus, atque ita sæpe
125 Integer et castus doctas imitatur Athenas.
Principiis legem ponit, tum doctior acri
Suggerit arma foro; tristes componere lites
Edocet, hortatur sapiens, causasque perorat,
Conciliatque animos, pariter flectitque docetque;
130 Nunc brevis orator, largus nunc, dulcis et acer
Transfert verba decens, vertitque in mille figuras.
Emendat mores hominum, pœnasque daturas
Obscœnas animas in tristia Tartara ducit.
Mille modis vexat miseros, tum læto parantur
135 Regna piis; virtus carmen laudata per omne,

v. 100 *Lothofagos* C; v. 102 *Lestrigonum* C; 104 *Tyresiae* C; v. 105 *Circes* C; *syrenas* C; v. 110 inde] *vim* C; v. 113 *parentum* C; v. 114 *fastigia* és *matris* C; v. 119 *laetoque* C; v. 121 *guadet guadetque* C; v. 125 *immitatur* C;

Atque virum canit atque deum, cui sidera parent,
Cui mare, cui tellus, cui cætera semina rerum,
Cui superi cuncti, tenebrosaque nomina Ditis.
Humano generi falso sua crimina fatis
Transferri docet ore Iovis, qui numina cuncta 140
Testatur, clamatque homines sibi quærere pestem:
Proh superi! falso mortales numina nostra
Incusant, causamque suis voluisse queruntur
Fata malis: miserum, quos mens insana, animusque
Contra fata deum, contra et cælestia torquet! 145
At nos vera fides meliori tempore natos
In cælum ducit, Paulus, tuque, optime pastor!
Sed mirum tantum cæcum vidisse poetam.
Nec contentus eo, rerum primordia ducit
Ordine quoque suo, stellas et nomina narrat, 150
Quid valeat cantus, valeant quid somnia missa,
Sentit et imparibus numeris cælestia semper
Apta, et quæ servent ostendit Pythagoreis;
Et pictura loquens demum tam docta poesis.
Næve morer, totumque ingens evolvere carmen 155
Sexcentasve alias pergam ne dicere laudes,
Creditur, in sacri desunt quæ carmine vatis,
His seclum caruisse suum tum cognita nulli.
Illius ergo genus merito certamina ponit:
Septem urbes certant divi pro sanguine Homeri: 160
Smyrna, Rhodos, Salamin, Colophon, Chios, Argos, Athenæ.
Ergo, sancte pater, non me certamine tanto
Versari cupias, oro, sed Tu prius ante
Consule, quid nostræ valeant in carmine vires.
Quo facere id possis melius, tibi primus Homeri 165
In Latium versus: (Utinam tuo nomine dignus,
Qui vincis populos, Nicolae, et gloria nostri es!)
Mittitur: atque, etiam carmen, quo placat Ulysses
Aeacidem et Phœnix, et quid respondet Achilles.
Hæc edi in lucem nolim, nam carmina nondum 170
Apta satis, torno rursus polienda sed ante.

v. 136 canit atque]canit et C; vagy *divum??*; sydera *C*; v. 138 *vitis* C; v. 140 *orem* C; v. 152 *numinis* C; v. 154 *daemum* C; v. 158 *seculum* C; v. 160 *duri* C; v. 161 *Salamin* helyett *C*-ben (illetőleg a másolatban) három pont, melynek a lap szélén alkalmasint valami jegyzet felel meg; *Colophos* C;

Quodsi tantus amor tanget tua pectora sancta,
Ut quocunque modo iubeas mihi ludere versus,
Meque velis parva volitare per æquora cymba,
175 Nec dubitas tanto portu iam mittere in altum:
Ipse gubernaculum capias, cursusque secunda!
Namque potes nostris sceleratas tollere culpas
Mentibus et pœnas; tibi cæli regia portas
Læta aperit, clauditque volens, tu regna furentum
180 Diminuis, numeroque suo cælestia comples.
Tuque potes pedibus Romanum vertere regnum
In quodcunque caput; domini regesque verendi,
Omnigenumque genus pueri, matresque, virique
Pastorem, patremque colunt; tua numina Musæ
185 Semper erunt nostris condendis versibus; illa
Principium mediumque dabunt, finemque, nec ulla
Calliope vocitanda mihi, non altus Apollo.
Te duce quis poterit scaevas decurrere Syrtes,
Et poterit scopulos et concurrentia saxa
190 Temnere, per media vel pandere vela Charybdim.
Non ego, Phœbe, tua cingi mea tempora lauro
Iam posco, non Pana mihi, patremque Lyæum;
Sed tulit in mediam cunctantem carmina rupe,
Non Clio, visæque aliæ mihi tendere ramum
195 Frondentis lauri, pasco dum rure capellas,
Ascra, tuo: sed iussa sequor; laus ista volenti
Et merito sit tanta precor mihi nectere versus
Sit satis, atque pater tandem tua dicta facessam.

Janus Pannonius ad Franciscum Barbarum.

Francisce, Venetæ maximum gentis decus,
Cognomen ipsis moribus fallens tuum,
Ac ore docto. Cuncta quo vultu soles,
Rudes Camenæ sume primitias meæ.
5 Quodsi quid istic non satis comptum leges,
Veniam iuventæ gratia vati dabis.

v. 191 *lieum* C; v. 193 *mediam* C.

Ezen költeményről fentebb is szóltam. Koller a Bresciai kézirat nem eléggé pontos másolatát minden javítás nélkül hanyagul nyomtatta le; én a jegyzetekben Koller tévedéseit hallgatással mellőzve csak a következő

Sin quid sonabit auribus dignum tuis,
Guarinus Italæ splendor eloquentiæ
Erit probandus: quicquid in nostris fluit
Apte libellis, fonte manavit suo. 10

Celebratio nuptiarum Jacobi Balbi et Paulae Barbarae.

Cognatum pridem superis Erycina relictis
Forte revisebat pelagus, qua nobile flumen,
Quod Phaëtonteos lymphis extinxerat ignes,
Verberat Adriacam septeno gurgite Dorim.
Illius adventu prostrata repente residunt 15
Aequora; non gelidus Boreas, non humidus Auster
Perstrepit; in coitus late ruit omne biformis
Armentum Protei, discusso fervida somno
Phocam phoca ligat, delphin delphina requirit;
Arcta cohærentes nectuntur in oscula conchæ; 20
Alga tremens sociam cupide se inclinat in algam.
Protinus exiliunt udis Nereides antris,
Quas plaga Dalmatiæ, quas Itala ripa tenebat.
Hinc prior e liquidis stillantes protulit undis
Callianassa comas, quam ponti rege creatam 25
Ubere fecundo nutriverat humida Tethys.
Post hanc innumeræ simul emersere sorores:
Dynamene Phorco, Portuno grata Chariste,

három kézirat eltéréseit közlöm: A Bresciaiéit (B), a Vaticániéit (V) és az Ambrosianuséit (A). Ez utóbbi kézirat, mely az előbbi kettőtől nagyon eltér, úgy látszik, költeményünknek egy külön recensióját képviseli. — A költemény bevezetésének A-ban nincsen czíme; Kollernél a kéziratok által adott czímen kívül olvassuk még a következőt: «Jani Pannonii Poëma ad Franciscum Barbarum de Nuptiis Jacobi Balbi et Paulae Barbarae.» — v. 4 summe *B*; v. 5 istic forsan incomptum *A*; v. 8 Italiae *V*; v. 10 labellis *V*; monte *BV*. — A tulajdonképi Epithalamium czíme A-ban: Janus Pannonius patricio viro ac splendidissimo ęquiti Francisco Barbaro Salutem. — v. 12 qui [A]B (zárjelek közé azon codex betűjét teszem, melynek olvasásáról csak «ex collatoris silentio» van tudomásom); v. 13 phetonteos B, phetontheos V, phętonteos A; — limphis V; extinserat BV; v. 14 adricam A; doris A; v. 17 late ivit omne severi A; v. 18 prothei V; Proteos armentum A; v. 19 legit V; v. 21 sotiam A (a szövegben) BV, sociam A (a lap szélén); v. 24 hic V; *priorem* vagy *prior est* A; v. 26 lactarat sedula tetyhis A; thethys B, thetys V; v. 27 *simul* hiányzik A-ban.

Carminibus Clymene, saltatibus apta Melantho,
30 Collectis Melite, sparsis Ianira capillis.
Glaucem Mæra decens, Panope conclamat Aganem,
Dexamenem Actæa ciet, Galatea morantem
Corripit Amphinomem, accersit Iæra Pherusam
Actiaco nutrita sinu. Neu singula verbis
35 Nomina dinumerem: non sævi mater Achillis
Tot secum duxit comites, cum funere amici
Mærentem peteret Sigeo in pulvere natum.
Nec vero cœtus solum coiere marini;
Naiadas in salsos perhibent migrasse liquores,
40 Quas præceps Athesis, quas designatus in astris
Educat Eridanus. Medio sublimior extat
Diva choro, qualis Troianæ in collibus Idæ
Altior exurgit trunco nutante cupressus.
Convocat ergo suos magno clamore ministros
45 Edicens servare locum; properantibus illi
Discurrunt subito pennis; pars una minantes
Tollitur in scopulos; bibulis pars errat arenis.
Hi suspirantes abigunt a littore Faunos,
Illi torva maris calamos in lumina torquent.
50 Non centum Aegaeon manibus, non carmine Triton
Repperit accessum; procul ipse retorsit habenas
Neptunus, volucri stringit dum cerula curru.
Tum Veneris iussu tranquilli in parte recessus
Roscida securæ ponunt velamina Nymphæ.
55 Ipsa deas positis agit in certamina donis.
Principio celeres ineunt ex ordine cursus.
Stantibus ad metam carcer subducitur: illæ
Summa freti per terga volant; non ulla videres
Signa pedum: siccæ vibrantur in aere plantæ,
60 Pendula suppositum nec libant crura profundum.

v. 29 cantandi climenc, saltandi scita melantho A, climene V; saltantibus V; melancho B; v. 31 glancen B; agaven B; v. 32 dexamenen B; galathea V; v. 33 anphinomen B; pherusan B; v. 35 scaevi B; v. 36 duxit secum V; v. 36, 37 A-ban: T. s. d. c. com sacra feroci Arma rogans nato Vulcani tecta petivit; v. 38 Hec V. coitus B; choiere B; v. 39 Nayadas B[V]; v. 40 atesis B; v. 42 a javítás elótt *vallibus* B; ydae V; v. 45 serv. modum B; prop. omnes A; v. 46 minaces B; v. 49 numina [BV]; v. 50 tryton A; v. 52 Netumnus B; v. 54 rosida BV; v. 57 metas V; v. 58 non nulla B;

Emicat ante omnes levibus pernicior auris
Eridano generata Thoe, propellit euntem
Affixus lateri genitor, nunc vocibus urgens;
Nunc alias anteire vetans; fugit illa verendi
Subsidio confisa patris, cui flava Dione 65
Aurea mirifico largitur cingula textu,
Pictam multimodis imitata coloribus Irim.
Dehinc iubet accitas agili certare natatu.
Ilico mobilibus spumarunt versa lacertis
Stagna sali; cunctas evincit docta Colymbe, 70
— Lubricus hanc Athesis rapta Benacide nympha
Ediderat — cedunt dimoti corpore fluctus;
Marmoreo raucus sub pectore murmurat humor.
Illa modo latices haurit, modo respuit haustos;
Nunc sine remigio fidos resupina per æstus 75
Defluit, obliquo nunc fertur lenta meatu.
Interdum submersa latet, mox inde remotis
Erumpit necopina vadis; — non ulla natando
Longius excessit spatium; tulit ergo coronam
Ardentem gemmis, nuptæ quam Mulciber olim 80
Blanda maritalis dederat post fœdera somni.
Ultima melliflui decorant spectacula cantus.
Respirant fessæ paulum, dehinc nubila dulci
Incipiunt mulcere sono, canor æthera complet
Nectareus; pulsæ referunt extrema cavernæ; 85
Attoniti sistunt amnes, Orphea recusant
Plectra feræ; damnat Tyrrhenus Ariona piscis;
Aequoreæ mirantur aves, mirantur olores.
Nereis Eumolpe superat, quam stridula Siren
Invitas docuit modulatu sistere puppes. 90
Debita iam victrix gestabat munera virgo,
Scilicet insignem Tyrio subtegmine pallam,
Cum procul Idalias stimulans per inane volucres
Fulsit Hymen, iuxta trepidantes concutit alas

v. 63 ingens V; v. 64 illico B; v. 70 evicit B., colybe V; v. 71 libricus A; v. 72 fructus A; v. 75 rem. placidos A; actus V; v. 76 obliquos V; v. 78 non nulla B; v. 83 *paulum* hiányzik V-ban, helyette *dehinc* után 5—6 betűnyi hézag van; v. 84 aequora mulcet *V*; v. 85 carinae B; v. 87 plecta [A]B; feret B; tirenus B, tyrenus A, thyrenus V; Eriona V; v. 88 holores A; v. 89 syren AV; v. 92 tirio B; v. 93 per mare V; v. 94 himen V; contulit V;

95 Lætus Amor; formæ præclari laudibus ambo,
Germanos dicas, si non lascivior extet
Hic facie, castum præ se ferat ille pudorem.
Tantum distabant, quantum bis currit arundo,
Cum genitus Musa dominas hoc ore silentis
100 Increpitat: Vos nunc ludos agitatis inertes
Tanti securæ thalami? Sed mittite vanos,
Quæso, iocos: Venetam cuncti properemus ad urbem!
Barbara nam Balbo sociatur Paula Jacobo.
Si vilis sponsæ vobis est cura, parenti
105 Officium præstate suo, quem splendida virtus
Divinis etiam dignum facit esse choreis.
Obstupuere omnes; spiris ligat illa refusam
Cæsariem, vestes rapit hæc festina repostas;
Altera iam sumptos zona suspendit amictus,
110 Pars leves pharetras e murice nectit acuto,
Pars e coralio componit frena rubenti.
Tum diversa super raptim portenta levantur:
Hanc curvus delphin, illam vehit horrida pistrix,
Illa iubas tauri leva complexa virentis
115 Obstantes perscindit aquas, hæc tigride fertur.
Ast ipsam balæna subit, quæ maxima toto
Nabat in Ionio; Phœbeam Cyclada iures
Aegæis innare fretis, sic celsa per undas
Invehitur; monstri sublimis sessile dorsum
120 Diva premit; solis nimios sentire calores
Grata recurvatæ prohibent umbracula caudæ.
Contigerant urbem, sponsæ petiere penates,
Quæ tunc arcanis laribus seclusa manebat.
Assidet intentæ genitrix, et singula monstrans
125 Virtutis monitus dociles instillat in aures.
Qua ratione domum moderetur coniugis, ut sit
Fida viro, famulis non aspera, blanda propinquis.

v. 95 l. a. formis clari praestantibus ambo A; v. 96 lascivior isti A; v. 97 sit facies A; v. 98 his currit arando V; v. 100 increpat V; v. 102 cuncti Venetam properemus in urbem A; v. 103 sotiatur V; v. 104 est et cura V; v. 110 p. teretes ph. A; v. 111 hiányzik V-ben; v. 113 pixtrix V; v. 115 proscindit A; v. 116 subiit V; v. 117 in Adriaco A; vires V; v. 118 fictis sic V; fretris A; v. 125 nimios phoebi A; scatire V; v. 126 perhibent B; v. 128 atranis A, archanis BV; v. 125 docilis AV; instilat V;

Castalias ducens Parnassi e monte catervas.
Vernant fronde fores, pictis constrata tapetis 130
Ima latet tellus, aulaeis cætera fulgent.
Sed magis æthereis domus illustrata reluxit
Cœtibus ac summo vibravit lumina tecto.
Mox etiam virgo nuribus comitata pudicis
Progreditur, ceu plena vagis conscendit Olympum 135
Luna rotis. Contra caris stipatus amicis
Sponsus adest, veluti lunaribus obvius exit
Frater equis; mediæ proceres in sedibus aulæ
Purpureis sedere toris; supereminet omnes
Franciscus gravitate parens, ceu Pelion altum 140
Cum premerent superi, plus maiestatis habebat
Iupiter et totum fuscabat clarior agmen.
Tum digitis cordas relegens sic cœpit Apollo:
Illustres audite viri, quibus ista superbit
Urbs lati regina maris; pater ipse volentem 145
Huc me de caro iussit descendere Cyntho.
Proxima post magnum traxit me causa tonantem
Tanti civis amor, primo qui semper ab ævo
Inclita Pieriæ gessit vexilla cohortis,
Ut quando totiens ipsum navasse probavi 150
Militis officium validi, nunc more vetusto
Emeritum iam pæne canam; — quin promptius istud
Nunc onus assumpsi, quoniam non suspicor ipsum
Humanis digne laudari posse loquelis.
Nec plena inmensis alio referente valeret 155
Rebus inesse fides: Sed cum deus ipse per omnes
Appeller populos, qui fata petentibus edo,
Qui cunctis certas veras edissero sortes,
Nil leve, nil vanum potero dixisse videri.

v. 128 alias A; *aedes* helyett *aures* V; v. 129 ducens bifido de monte A; Parnasi BV; *e* helyett talán *a* irandó? v. 131 auleis AB, aulae sed V; v. 132 refulsit V; v. 135 cui pl. vadis V; olimpum ABV; v. 136 lima V; v. 138 eques B[V]; v. 139 thoris BV; v. 140 pares V; *ceu* helyett *cis* A; v. 141 habeat A; 142 Juppiter V; v. 144 audire V; v. 146 claro V; cintho B, caelo V; v. 149 inclyta B; Pyeriae V; v. 152 quando proptius *Koller*, quin promtius A, quin promptius B, quin protinus V; v. 153 Pondus suscipio qu. A; honus B; v. 154 posse Camenis A; v. 155 Nec plenam possent alio referente mereri A; v. 156 Ipsius acta fidem A; omnis B[A]; v. 157 facta A; pet. aevo V; v. 158 edixero V;

160 Inprimis patriæ titulos memorare decebat,
Ni satis illa suis esset famosa triumphis;
Post etiam generis varias subnectere laudes,
Sed genus allegant propriæ virtutis egentes.
Hoc satis ipsius fuerit de stirpe fateri,
165 Quod cunctas claris longe præcellit alumnis.
Hæc est illa domus, cui quondam nobile nomen
Barbaries superata dedit; ceu Creta Metello
Scipiadis Afri, Druso Germana iuventus.
Nam memini toto stravisse cadavera ponto
170 Hac lectos de gente duces, cum classe profundum
Barbarica fremeret, nec mercibus alta paterent.
Ex illo soboli tantæ lux addita crevit,
Ac maiora ingens produxit germina radix.
Sed cum Francisci proavos percurrere longum
175 Arbitrer, unius cogor meminisse nepotis.
Hic est Hermoleos, qui nunc in culmine summo
Tarvisium sancto præsul moderamine frenat.
Huius sincero sedem sub corde locavit
Intemerata fides; divina volumina nulli
180 Nota magis, nec quæ statuerunt iura vetusti
Pontifices. Gemino pollet sermone disertus,
Nam Latiæ linguæ Graias admiscuit artes.
Sed ne sim nimius, studiove extrema sequendi
Longius expatier, cœpto nunc limite curram.
185 Non ego Franciscum cælesti e semine cretum
Mentiar; hoc unum dubito, quod in axe superno
Affirmem regnasse iubar, quæ sidera dicam
Concordes iunxisse globos, qua venit in auras,
Ille die miro cælum properasse rotatu

v. 160 imprimis V; licebat V; v. 162 Mox etiam varias generis A, Etiam post *Koller*, et post (*iam* a lap szélén) B; v. 165 quod senio cunctas et claris praestat alumnis A; v. 166 quondam cui V; v. 167 superata ceu concreta V; v. 168 Scipiadas Affri denso g. V; v. 169 Nam moenum toto V; cedavera V; v. 170 de classe duces V; v. 171 premeret V; v. 173 m. ferax emisit g. A; semina B; v. 174 francissi V; v. 175 arbitror V; v. 176 ermoleos A, hermol (!) B; hermolaus V; v. 177 tarvisum V; T. anctam p. ditione gubernat A; v. 180 statuere V; v. 182 artis B; v. 183 Sed neu multa loquar: neu singula tangere pugnans A; v. 184 expatior V; certo V; n. pulvere A; v. 185 ex V, *e* hiányzik *A*; v. 186 h. sane d. *A*.

Certa fides, ac signa novum servasse tenorem. 190
Non sibi mortalis cunabula præbuit altrix,
Nam simulac partu matrem Lucina levavit,
Infantem mundo Parcis felicibus ortum
Flumine Pegaseo nostræ lavere sorores.
Illic prima sibi lactis libamina Clio 195
Blanda dabat; gremio sublatum sæpe fovebam
Ipse meo; resonant curvis vagitus hyantes
Vallibus, arrident reptanti Delphica Tempe,
Nec saturare valens cupidos in imagine visus
Senior Aonio Permessus vertice currit. 200
Melliferas etiam volucres persaepe cubantis
Cecropios vidi labris infundere succos;
Ac velut ille foret, cuius de faucibus esset
Dulcior Hyblaeo fluxurus nectare sermo,
Post ubi iam certo calcavit gramina passu, 205
Semper florigeris ludens errabat in hortis.
Tunc etiam nostras cœpit contingere mensas,
Ambrosios large iussus potare liquores;
Tum virides peragrans saltus Heliconis amœni
Laurigeris celebres lustravit vatibus umbras; 210
Mox ubi iam sensus est visus habere capaces,
Historias veteres nutrix sibi docta reclusit,
Euterpe arguti docuit modulamina buxi,
Comica præceptis cognovit scripta Thaliæ,
Melpomene tragicos didicit pandente cothurnos, 215
Terpsichore plectro digitos aptavit eburno,
Explicuit molles Erato lasciva libellos,
Uranie astriferi motus patefecit Olympi,
Calliopea libens heroa poemata legit,
Ultima facundos monstravit fingere gestus; 220
Austeras leges nobis tradentibus hausit.

v. 193 I. nudo *A*; foelicibus *BV*; v. 194 favere V; v. 197 resonat curvis vagitus hyantes *A*; v. 198 valibus arident A; tempę *A*; 199 senior V; v. 201 melliferes *B*; v. 202 Cecropis BV; sucos [A]B; v. 204 hibleo *B*; v. 205 Dehinc ut iam *A*; ortis ABV; v. 207 nostrae gustavit fercula mensae *A*; mensas c. c. nostras *V*; v. 208 Ambrosiae largos '*A*; v. 209 tunc *A*; helyconis *V*; v. 210 laurigeras *B*; v. 211 ergo ubi iam *A*; v. 212 hystorias *V*; v. 213 Entrepe V; v. 215 coturnos *BV*; v. 216 Tersicore *BV*; eburo *B*; v. 216 Eratho *V*; v. 217 Uranię *V*; olimpi *BV*; v. 219 Caliopea *ABV*; heroa qui p. *V*; v. 220 ultimo *V*; v. 221 ausit *B*;

Sic patriam repetens, vitam non egit inertem,
Sed meditans crebro, quæ ceperat auribus usu,
Ipsas eloquio vicit florente magistras,
225 — Pace loquar —; nullo mavult interprete legi
Plutarchus, nulli debent hæc sæcula tantum,
Graia quod in Latio passim monumenta leguntur.
Me tamen ante alios uxorius ille moratur
Sæpe liber, proprio quem pectine texuit olim
230 Tiro licet. Multa sensus gravitate redundat,
Magnum pondus inest verbis, suus omnibus ordo
Nec minus orantem tetrici venerabile visu
Concilium stupuere patres; sic corda politi
Ceu magnes chalybem sermonis melle trahebat.
235 Ergo legatus mitti, collega creari,
Principis in summo dictator turbine dici,
Curabat mandata probe, nec venit ad ullos
Orator proceres, quin exorator abiret,
Seu dominatrices Romani Tibridis undas,
240 Seu ducis anguigeri, seu Cæsaris ora petebat.
Illis ascitur, quos urbs vocat ista rogatos;
Tarvisium dehinc prætor adit servantior æqui
Præmissis ætate minor, sed damna iuventæ
Pensabant cani viridi sub pectore mores.
245 Mox Vicentinæ vindictam suscipit urbis,
In qua iustitiæ monumenta æterna relinquens
In melius leges ac publica iura redegit.
Talem bellipotens cognovit Sparta Lycurgum,
Talem Roma Numam, tellus Actæa Solonem.
250 Huic soli geminos moderandum Bergomon annos
Traditur; hic varia gentes novitate fremebant

v. 222 Tum p. *A*; repetam *B*, repentes *A*; v. 223 medicans *V*; 225 int. verti *A*; 229 scepe *A*; v. 230 tyro *VA*; redundant *A*; v. 231 inest viribus *V*; v. 232 arantem *A*; arrici *V*; v. 233 consilium *B*; v. 234 calibem *BV*; 236 dictor turbine *V*; v. 239 ceu *V*; tribidis *V*; v. 240 után A-ban:

Quantus privatus salva contingere civis
Libertate potest, cunctis tribuentibus ultro:
Emeruit tantos non ambitiosus honores.
Vix ter septenis vitae natalibus actis

v. 242 adiit *V*; v. 244 c. tenero s. *A*; v. 245 V. moderamen s. *A*; v. 246 i. decus immortale r. *A*; v. 247 vira *A*; 248 ligurgum *B*; v. 250 g. frenandum *A*; v. 251 hinc *B*;

Imperio infestæ Veneto, sed protinus omnis
Sedulitate sua rabies compressa quievit.
Sic cum iam Xerxi se consociare pararent,
Paulatim flexos ad se revocavit Ionas 255
Ille Neoclides, Medis qui classe subactis
Navali celebrem fecit Salamina trophæo.
Bis generosa suas coluit Verona curules,
Urbs Patavina semel, tanti nec præsidis expers
Cæsarei fuit ora fori, qua montibus altis 260
Erumpit præceps numeroso fonte Timavus.
Nec tamen ista domi nimis admiremur adeptum,
Cum pater Arctoo veniens Augustus ab Histro
Ad se transmissum titulo donavit equestri.
O quotiens potuit Cretæ dare iura feraci, 265
Euboicam quotiens præfectus adire Caryston!
Respuit ipse tamen, nec tanti oblata potestas,
Quanti spreta fuit, contempsit nempe quod omnes
Transgressis recti metis ambire videmus.
Sed maiora vacant Mella quæ teste peregit. 270
Non illic iustum modo se, sed præbuit acrem,
Nec defensoris tantummodo munus obivit,
Sed ducis invicti peperit memorabile nomen,
Tum cum Brixiacis a mœnibus hoste repulso
Rem Venetam tristi labentem vulnere solus 275
Sustinuit, veluti cælum Tirynthius heros.
Partibus a geminis bellum ferale movebant
Inde Bianoriæ princeps Mavortius aulæ,
Illinc Insubris violentior ira Philippi.
Continuo irrumpunt, nec illos Ollius ingens 280
Continuit, celsis validæ nec turribus arces.
Diripitur Cenomanus ager, dum rustica fumant
Culmina, præcludunt obiecta repagula portas.
Fama rei Venetos complet mæstissima patres,

v. 252 Venetae infesto *V*; v. 254 Xersi *BV*; se conciliare *A*; v. 256 mediis *V*; v. 257 salamine *B*; v. 259 nec tanti *A*; v. 261 timanus *A*, thimavus *V*; v. 262 minus admirentur *V*; A-ban vv. 265—269 v. 261 után következik; v. 263 donarit *V*; v. 265 voluit *BV*; sura *A*; feroci *V*; v. 266 Euboica *B*; cariston *BV*; v. 268 quid os *A*, quod omnis *BV*; v. 269 transgressi *B*; v. 272 nec pretoricium *A*; v. 274 *a* hiányzik *A*; brisaicis *V*; v. 275 tisynthius *B*, thyrintius *V*; v. 278 bianoreę; v. 280 olius *V*; 281 turibus *A*; v. 282 dirripitur [A] *B*; v. 284 phama *B*; moest. *V*;

285 Parvus erat tanto nec par exercitus hosti.
Quæritur obsessam quis eat protector in urbem;
Barbarus extemplo tantis e milibus unus
Eligitur. Certe non præfectura vocari
Ille magistratus, sed dictatura meretur.
290 Ilicet accelerat, sævæ nec imagine mortis
Terretur, gnarus patriæ nil esse negandum.
Quid magis admirer, dubito, quod fortis ad omnes
Manserit incursus, populum quod sæpe labantem
Iusserit hortatu non desperare frequenti,
295 Blandimenta fide, fraudes eluserit astu.
Neu morer innumeras fugiens vitanda per artes
Admotum plena trieteride pertulit hostem.
Demum sublatis discedere compulit hydris.
Salve, summe parens patriæ, spes una senatus!
300 Macte vir ingenio, nisi tunc te fata dedissent,
Non vestri limes regni nunc Larius esset,
Gallica nec Veneto parerent arva leoni.
Hæc est eximio dignissima palma triumpho,
Hoc vere sapientis opus. Concedite, quæso,
305 Romulidæ! magni concedant gesta Camilli!
Quantum consilio valeat, quis cultus honesti,
Quanta sit integritas, quod mentis robur in ipso,
Iam plane prædicta docent; haud pluribus ergo
Declaranda reor. Sed cum permulta recorder
310 Prudenter vel facta sibi, vel dicta diserte,
Hoc etiam magnis unum decet addere rebus,
Quod talem natæ delegerit ipse maritum,
Quo gener haud poterat se dignior ullus haberi.
O nimium tali felicem coniuge nuptam,
315 In quo cum specie probitas certare videtur,
Cum probitate genus. Nam sanguinis ordine longo

v. 285 *erat* hiányzik hézagban *V*; v. 285 után A-ban egy uj vers: Restabat clausos armis defendere muros; v. 288 cunctis e *B*; Eligitur non iam tantum pretura v. *A*; v. 289 iste *A*; moeretur *V*; v. 290 illicet [A]B; accelerant *V*; scaevae *B*; non V; v. 291 teretur A, teritur ignarus *V*; nihil *A*; v. 292 quod *A*; admiror *V*; v. 295 alluserit actu *V*; v. 296 fugies innumeras *V*; artis *V*; v. 297 cricteride *V*; v. 300 didissent *A*; v. 301 haud vestri *A*; lauris *A*; v. 302 p. rura l. *A*; v. 311 decet unum V; v. 312 Ipse quod hunc natae delegit sponte m. *A*; ipsa *BV*; v. 314 foelicem *V*; coniunge *A*;

Romana clari pendent ab origine Balbi.
Qui cunctis animi genitorem dotibus æquat
Bernardum; cuius rectam se gaudet habenis
Insula Minois, centum celeberrima quondam 320
Urbibus ac summi nutrix antiqua tonantis.
O iuvenem rursus tali consorte beatum!
Aurea quam facies miro splendore decorat,
Quæ patris ingenium, matris sortita pudorem,
Palladis ac nostræ laudes habet una Dianæ. 325
Ite igitur læti fatis, precor, ambo secundis!
Prospera sint vobis diuturnæ tempora vitæ,
Concordes animi, fœcunda creatio prolis!
Dixerat hæc Pæan, sinuato leniter arcu
Bina pharetratus direxit tela Cupido, 330
Nec non alterno tedas Cytherea ligavit
Consensu; tum tura sacros iaciuntur in ignes,
Cæduntur lectæ pecudes, it nidor in auras
Commixtus fumo; divinis rite peractis
Corpora procurant dapibus; pars cetera lucis 335
Per varios plausus hilari consumpta tumultu.
Tris Musæ Phœbo citharam feriente sonantem
Ac totidem nymphæ pelagi duxere choreas,
Ocior imperio Veneris tollebat amicos
Oceani vitreo radios e gurgite vesper. 340
Pronuba continuo reliquis cum matribus altos
In thalamos flentem ducit de more puellam,
Quam sponsus cupidis amplexus molliter ulnis
Exigit optatam longo iam tempore noctem.

Finis.

v. 317 pendet *B*, pendeat *V*; v. 318 Cum c. animi *V*, laudibus *B*; v. 325 Minoos *B*; v. 322 iuv. pariter t. *A*; v. 325 laudem *V*; v. 326 Ite simul laeti factis *A*; *laeti* hiányzik V-ben; v. 330 dixerit *A*; v. 331 thedas cytharea *V*, Citherea *B*; v. 332 thura *AB*; iactantur *V*; ignis *ABV*; v. 333 letae *V*; v. 335 lacis *B*; v. 337 citheram *A*, cytharam *V*; 338 nimphae *B*; v. 339 otior *B*; colebat *V*; v. 340 Occeani *A*; v. 343 moliter A. Az aláírás V-ben: Facundissimi iuvenis Iani Pannonii de celebratione nuptiarum Iacobi Balbi et Paulae Barbarae ad dominum Franciscum Barbarum patricium Venetum versus expliciunt.

Iani Pannonii in Basinum[1]) *Parmensem de Hesperide ab eo coepta iam dudum et non dum finita*[2])

Pagina cum longo pridem tua certat horeste (!)
Longius aut ipso si quid horeste fuit.
Parcere iam sacro debes, Basine, furori,
Iam dudum requiem fessus Apollo petit!
Qualis, io, Latiis ea lux fulgebit in oris:
Quantus in Aonio vertice risus erit!
Hesperis illa tuas quotiens compassa lituras,
In populi veniet conspicienda manus!
Non metuet scombros, sed thuris plena Sabaei
10 Ante deos omnes [3]) stabit et ante deas.

Gaspar Tribrachus Iano Pannonio S.[4])

Scire libens, o Iane, velim, si lumina frontis
Janus habet geminæ, cum sit imago bifrons.
Nam mihi nequaquam verum cecinisse videntur,
Qui dant posticis, quod caret [5]) ille dolis.
5 Ianus es, et taciti Iano tamen improba furis
Vis nocuit; fictum in nova fama [6]) sonat.
Falsane sic igitur de Iano fabula cantet,
Scire cupido mihi est; dirige, Iane, velim.

Ianus Pannonius Gaspari Tribracho S.[7])

Centum luminibus cinctum [8]) caput Argos habebat,
Sed tamen alipedis concidit ense dei;
Nec tibi sit mirum bifrontis lumina Iani,
Non expectatis succubuisse dolis.
5 Quin etiam nobis damnum fortuna redemit,
At nunquam fieri viribus ipse potest!

---

[1]) Blasinum (Blasine) a bresciai codex. Basinium-ra akarta kijavítani Koller, Garampi figyelmeztetése után, de a 3-ik versben a mérték a Basine alakot követeli. [2]) Legelőször kiadta elég hibásan Koller József Hist. Episc. Quinqu. IV. p. 240. [3]) *omnis* a kéziratban. [4]) Kiadta Koller i. h. p. 240. [5]) cavet. *C* (a kézirat). [6]) phama *C.* [7]) Kiadta Koller i. h. p. 241. [8]) cintum *C.*

Ianus Pannonius pro Constantinopoli diruta. [1])

Concidit antiquæ Byzantion æmula Romæ;
Heu peragunt quales lubrica fata vices!
Sub Constantino nomen sublime paravit,
Sub Constantino depopulata perit.
Nomen idem geminum miseræ sibi præstitit omen, 5
Funestum nunc est, quod fuit ante bonum.

Epitaphium in Franciscum Barbarum. [2])

Heu! qualem Veneti Francisci funere civem,
Amittunt! qualem gens Barbara perdit alumnum!
Quantus doctrina fuerit, gesta inclita monstrant;
Quantus iustitia, sex rectæ legibus urbes
Testantur. Iaceat licet hoc sub marmore corpus, 5
Nomen in orbe tamen, superis mens vivit in astris.

De eodem. [3])

Barbarus hic situs est linguæ decus omne Latinæ.
Fortia facta viri pro libertate senatus [4])
Brixia, quam magno tenuit sudore, fatetur.
Hic æterna sui scriptis monumenta reliquit,
Græcaque præterea fecit Romana; tenet nunc 5
Spiritus astra, suos tumulus complectitur artus.

Ad Ursum. [5])

Urse, rogas, Ocni fuerim quot in urbe diebus?
Septem perpetuis noctibus urbe fui;
Quippe ubi continue nebulis latet obsitus aer,
Illic auctore quis locus esse potest?

---

[1]) Kiadta Koller i. h. p. 241; v. 1 Bizancyon *C*; v. 2 qualis C; v. 5 praestit C, kijavította Koller. [2]) Megvan a Cod. Brix. C V 10-ben és a Vat. lat. 5131-ben. A czímet én adtam hozzá; a Bresciai kéziratban: Johannes Pannonius; a vaticaniban: Janus Pannonius; úgy látszik, hogy nem is volt ezen epigrammoknak külön czíme, minthogy a Barbaro halálára írt epitaphium-gyűjtemény számára lettek írva. [3]) A Cod. Vat. lat. 5131-ből; czímét én adtam hozzá. [4]) *Senatur* a kézirat, talán *Venetûm* helyett? [5]) Ezen és a következő költemények a Cod. Vat. lat. nr. 2847-ből valók.

Epitaphium Pauli Logici.

Arte potens logicæ iacet hoc sub marmore Paulus,
Quem rapuit subiti funeris atra lues;
Scilicet iccirco Parcæ properastis iniquæ,
Ne vos arguto vinceret ille sono.

Ad Galeotum.

Candida seu vultu ridet fortuna sereno,
Seu præfert tristes nubila fronte minas,
Semper habe fidi secretum pectus amici,
Affectus credas cui Galeotte tuos:
5 Collatæ levius mordent præcordia curæ,
Gaudia plus multo participata iuvant.

De Accipitris [1]) Venatione.

Latratu dum silva canum, clamore virorum
Personat, ecce dedit callida præda fugam;
Sed pede quem [2]) nulli possunt æquare molossi [3]),
Accipiter penna consequitur leporem.
5 Nunc tergum rostro carpit, nunc verberat alis,
Obsessum multo nunc premit ungue caput.
Oscula iam tutæ iungant impune columbæ,
Secura in medio flumine ludat anas.
Cognatis avibus parcit [4]) iam raptor aduncus, [5])
10 Sævit et in solas alitis ira feras.

De eodem.

Corripuit campo leporem sacer ales aperto,
Prendere [6]) quem celeres non valuere canes.
Quæritur, aucupium dici, an venatio debet,
Cum volucris captam detinet unca feram.

---

[1]) accypritis *V* (a codex); [2]) que V; [3]) így a második kéz *molosi*-ból
[4]) parcis *V*; [5]) aduncis *V*; [6]) prehendere *V*;

De eodem.

Prostratum leporem cum iam ferus ungue secaret
Dædalion, adsunt improba turba canes.
Quo ruitis segnes? captæ iam parcite prædæ,
Dum fera diripitur, ne lanietur avis.
Ignavi stupuere canes, dum viscera victor 5
Devorat et præda pascitur ille sua.

Ad Polycarpum. [1])

Occurrit quicquid, tu mox epigrammata poscis;
Nec fieri hoc debet, nec, Polycarpe, potest,
Nec valet ex omni signata moneta metallo,
Sed quæ vel rutilat fulva, vel alba nitet.
Tum demum facili componam pectore carmen, 5
Si dederis dignam carmine materiam.
Hanc olim festiva tenent epigrammata legem,
Commendet pungens semper ut illa sapor.
Sunt quædam, nullo quæ possim dicere metro,
Sunt quædam, quæ vel dicta leporis habent. 10

In Marcum.

Tempora, Marce, soles præponere nostra vetustis;
Adiicis hoc etiam qua ratione putes.
Nunc, inquis, media nemo iam nocte salutat
Astutum portans irrequietus ave,
Nunc fallit nemo, nemo nunc inguina lingit. 5
Nemo facit Floræ sacra Bonæve Deæ,
Pedicant pauci, recitant mala carmina pauci,
Omnia cum scænis amplutheatra silent,
Crimina seu portenta magis quibus ista vigebant.
Secula quis merito præferat illa novis. 10
Vis tibi versiculo me respondere sed uno,
Quod verum non est, dicere, Marce, soles.

---

[1]) Kiadtam az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben IV. p. 43.

Crystallina.

Esse putas si nos, Crystallina, falleris, hostes,
Murani æquoreæ vitrea vasa sumus.

Eadem.

Vitrea crystallo murani pocula certant,
Non sunt bella minus, sed preciosa minus.

De Titi libellis.

Si quem forsitan in Titi libellis
Ianum comperies, amice lector,
Illum protinus esse me putato.
Hoc, ne deciperemur ambo, dixi.

De Porcellio et Ioviniano.

Disceptant, sit uter poeta peior,
Hinc Porcellius, hinc Iovinianus.
Parcamus patris Aeaci senectæ,
Nec tantam pigeat secare litem.
5 Est peior reliquis Iovinianus,
Sed Porcellius et Ioviniano.

Laus Guarini.

Multum Roma suo debet reparata Camillo,
Sed plus Guarino lingua latina suo.
Illa truci non prorsus erat calcata ruina;
Hæc cum servata est, barbara prorsus erat.

De eodem.

Priscæ lingua latina dignitati
Guarino faciente restituta est.
Hunc laudent veteres novi futuri,
Huic nam quilibet obligatur uni;
5 Unus sit licet, obligamur omnes.

De codem.

Rursus, io! quæ tot iacuit sopita per annos,
Guarini studio lingua latina viget.
Dulcia Mænaliæ cedant inventa parentis!
Progenerare leve est, vivificare grave est.

De Marcelli Tropheo.

Rettulit hos late victis Insubribus angues
Marcelli nuper bellica dextra ducis.
Exuviæ domitum testantur fortiter hostem;
Accipe, Sancte Leo, civis opima tui.
Qui modo vibrantes trifidas qui guttura linguas
Fundebant [1]) celsis sibila [2]) dira iubis,
Collecti in parvos cristis languentibus orbes
Servitura tuo colla dedere iugo.
Talia Virromari tergo detracta ferocis
Obtulit Iliadæ Claudius arma patri.

Laus Guarini.

Floret lingua latina, confitemur;
Duplo floreat amplius licebit,
Guarino tamen illa redditori
Grates dicere non valebit æquas.

Cyminopristes.

Quid nam sit, rogitas, cyminopristes?
Tu, Paule, es proprie cyminopristes.

Elegia XXX. [3])

Thespiades [4]) et Bacche parens et candide Pæan,
Debetur nostro iam rudis officio.

[1]) fundebat V; [2]) sybila V. [3]) Ezen elegia előtt, mit föntebb elmulasztottam fölemlíteni, a kéziratban az Elegiák I-ső könyve 13-ik elegiájának vv. 153—206 sorai vannak. A főbb eltérések: v. 153 totiens totiens; v. 163 te vestitura; v. 166 hoc vigens; v. 170 pulcra; 178 semita clara; v. 181 Qui si f. constructus l. teneres; v. 182 P. in t. sc. supresse; v. 183 summersas tandem; v. 193 m. divis m. v. 199 Parnassiacae; Cyrrhae v. 201 lapidem; v. 203 revocabis. — Az elegiák czímét én adtam hozzá. [4]) Thessiades V.

Natales numerate meos, sic tiro videbor;
Pendite militiam, sic veteranus ero.
5 Tantus vix recolo vestra olim signa subivi,
Nunc dubitat nostras barba operire genas.
Iam satis est; depono lyram, depono coronam,
Ac flavis hederas detraho temporibus.
Nescio, quæ graviora iocis concepimus istis,
10 Advocat et nostros area maior equos.
Grande patet pelagus, quod littora nulla coercent
Sævius Euxino
Hac libet, hac rapidis intendere carbasa ventis,
Qua penitus fundo nigrior unda caret.
15 Nec me ulla immensi terrebunt monstra profundi,
Sint licet Ossæis æqua cacuminibus,
Non scopuli, non si currentem forte carinam
In media teneat parva echeneis [1]) aqua;
Vel meus optatas uncus mordebit arenas,
20 Vel moriar vasto piscibus esca mari.
At tu, quæ populos populis, humana supernis
Concilias, cuius vis elementa fovet,
Sive Cleonæos ne tentet Scorpius ungues,
Dividis iratas blanda sequestra feras,
25 Sive Deos inter sceptro veneranda superbo
Appares magno fida ministra Iovi;
Leges ecce tuas et Romula iura capesse,
Huc ades et cœptis aurea virgo fave.
Sic rursus terras possis habitare relictas,
30 Sæviat et rara cæde coacta manus,
Delitiæ pigros ac prodigiosa morentur
Carmina, quos mollis lectus et umbra iuvat,
Illos et lauri pascant in montibus altis
Ebrius insana cuspide Liber agat,
35 Quæ vitam debere suis se credit et audet
Publica conspicuo frena tenere loco.
Discat quid tetrici iubeant oracla Lycurgi,
Quid sapiens docto sanxerit ore Solon,
His æternæ urbes, his inclita regna reguntur,
40 Hic placito gentes nodus amore ligat.

---

[1]) Az echeneis (?) szó a margón.

Elegia XXXI.

Irrita si nostram non fallit opinio mentem,
Pegasei cultor, docte Carole [1]), chori,
Hisce tibi verbis me conciliare solebas,
Cum novus inter nos incipiebat amor:
Si quid opus fuerit, si quid tibi forte lubebit, 5
Arbitrio nobis utere, Iane, tuo;
Dura licet iubeas, non tantum dura iubebis,
Quæ pro te merito defugienda putem.
Efficiam quodcunque voles, quodcunque rogabis,
Et dabitur precibus nulla repulsa tuis. 10
Iusta tibi dignas persolvant numina grates;
Nil peto, nil abs te, care Carole, [1]) rogo,
Hoc præter, labris ne figas oscula nostris;
Cuncta dabis certe, si minus illa dabis,
Quippe tibi tetri putet malus halitus oris, 15
Et subito nares suffocat ille meas.
Non gravius redolent centena cadavera, nec qui
Ex Acheronteis fontibus halat odor;
Ergo sulphureas malo sentire mephites,
His etiam si quid tristius esse potest. 20
Mille ego me capras, mille olfecisse recordor
Ante capros, animam non queo ferre tuam.
Sæpe tuis virides marcent afflatibus herbæ,
Et quæ prætereunt [2]) emoriuntur aves.
Ite procul volucres, tenuem quæ carpitis auram, 25
Hic scatet infestis ater Avernus·aquis.

Elegia XXXII.

Hunnorum orator Stephanus Baionia proles
Ad Tyberim primo dum spatiatur equo,
Inventum cursu præverterat alite cervum,
Ocior et sociis, ocior et canibus;
Excitat et timidis animos sors ultima rerum 5
Aspera, cum Stephano prælia cervus init;
Cornibus urget equum, dorso citus ille supremo
Desilit et celsum percutit ense caput.

[1]) Karole *V*; [2]) praeterenunt *V*.

Desiluit fractus duris in cornibus ensis
10 Dardaneum Turno ceu feriente ducem.
Heu quid inermis agat, cum trux tanto acrius instet
Hostis; erant summo ludicra plena metu;
Quam pæne audaci nocuit temerarius ardor!
Quam pæne ille domum fabula sola redit!
15 Sed comitem miserata suum Tritonia sacro
Armavit trepidas protinus ense manus.
Huius [1]) tam validas excepit corniger ictus,
Ut raperet geminos unica plaga pedes.
Tum demum vano renovans certamina nisu
20 Labitur et vasto corpore plangit humum.
Adsunt et lenti sera ad iumenta sodales,
Nec pudet exanimum iam violare pecus.
Pande, age, si fas est, Phœbi soror, an ne feroces
Sola adeo cervos Martia Roma gerit.
25 Sic ego sic . . . . . . quid tu tam grandia cervis
Ad nullos usus cornua nata putas.
Bellant et cervi, sive exitiale coegit
Discrimen, calidus seu stimulavit amor.
Nec palmo sæpe est homini letalior ursus,
30 Nec magis ungue leo, dente timendus aper,
Quod si devictis levis esset adorea cervis,
De bis sex unus non foret iste labor.
Dixit et in sylvas dubito migravit in auras,
Est certe ex oculis rapta repente meis.
35 Præda gravi interea plaustro defertur in urbem,
Astupet at pompæ Romula turba novæ.
Picenus nec tanta dedit spectacula rhombus
Quem cepit subito testa rotata luto.
Curritur Acronis spolia ut referente Quirino,
40 Ut Caco flammis immoriente suis.
Dicite, Romani septena cacumina montes,
Tot tulerint fortes cum iuga vestra viros,
Quis potuit simili Capitolia adire triumpho?
Quis pede, quis dextra tale peregit opus?
45 Par decus Alcides dominis non intulit Argis,
Cum levis æripedem fixit arundo feram,
Non illic clavæ, non illic gloria plantæ

[1]) talán *cuius!*

Hercule tunc potior parva sagitta fuit,
Gratior est virtus, quam munificentia vivit,
Noster et hoc titulo crevit adauctus honos. 50
Nam solus tanto quas quæsiit ille periclo,
Delitias propriæ noluit esse gulæ.
Pontifici primum caput et sua cornua dantur,
Cornua ter senis ardua verticibus.
Purpurei sumunt lumbos, et pinguia patres 55
Ilia, diversum cetera vulgus habet.
Aequarat Phrygiis venatica dona carinis
Naufragus in Libyco littore Troiades
Hic minor in plurimis numerus confertur, et unus
Romanum cervus [1]) spargitur in populum. 60
Tybri pater, tales Hyster tibi mittit [2]) alumnos,
Tu tamen hunc salvum, sed cito, redde suis.

Elegia XXXIII.

Ipse sator mundi, precor, et sanctissima virgo
Dent tibi felicem, care Perine, viam.
I, precor, i, cautus, faveant tibi numina cuncta,
Ac tibi tuta bonum semita [3]) præstet iter;
Et tua te incolumem videat placidissima Cypros, 5
Cypros Acidaliæ semper amata deæ.
Ipse tuos multis discessus flebo diebus,
O quoties nostrum flebile carmen erit!
Deserui patriam, matrem cum fratre reliqui,
Et posui lacrimas tum retinere meas, 10
Quas modo non possum te digrediente tenere.
Aspice, quam fletu lumina nostra madent!
Cum ferus Aeacides notis seductus ab antris
Intravit falso Scythia tecta dolo,
Non adeo abreptum doluit Patroclum Achilles, [4]) 15
Cui fuerat summa iunctus amicitia;
Non mihi consuetæ veniunt in carmina vires;
Mutescet longo nostra dolore chelys.
Te flebunt nostræ lugubri carmine Musæ,
Te flebit posita noster Apollo lyra. 20
Multa mea pro te mactabitur hostia dextra,
Urentur sacris thura Sabæa focis.

[1]) corvus *V*; [2]) mittis *V*; [3]) semina *V*; [4]) Patroclus Achillem *V*.

Assidue precibus superos mactabo benignis,
Ut tibi dent faciles per freta longa vias.
25 Qui me cunque status, quisquis feret orbis in alto,
Tu mihi, tu semper pectore fixus eris;
Tu pariter fixum serves sub corde Ioannem,
Et nobis facito mutuus adsit amor.
Dicere plura vetor; dolor obstruit ora loquentis,
30 Extremumque tibi nil nisi dico: Vale.

Elegia XXXIV.

Bisseni Phœbo certant dum iudice menses,
Primus in hos solvit Martius ora [1]) sonos:
Ipse ducem veteri statuit me Romulus anno,
Iussit et auctoris [2]) nomen habere sui.
5 Excipit Aprilis: Cum venero, mitior aer,
Floridior tellus, densior arbor erit.
Temporibus nostris ferro desecta recurvo
Procumbunt late gramina, Maius ait.
Iunius insequitur: Cum me fervere videbit,
10 Maturas segetes rustica turba metet.
Quas tu succidis spicas, ego, Iulius inquit,
Contero et in cellas grana recondo cavas.
Subiicit Augustus: Præcingo vasa colurnis
Orbibus et patulos præparo rite lacus.
15 Plurima September de se cum dicere posset,
Contentus musti mansit honore novi.
Vox fuit Octobris: Quotiens me signa reducent,
Aut sere Palladias, aut lege cultor opes.
Nec mea, respondit, spernuntur dona, November,
20 Si suibus glandes, ligna ministro focis.
Pauca December ad hæc certe festiva profatur:
Horreo, sed genio frigora nostra calent.
Post hunc ambiguo proclamat gutture Ianus,
Continuas ævi se renovare vices.
25 Ultimus antiquis certo a purgamine dictus,
Hæc et tot, memini și bene, verba dedit: [3])
Qui Ladislai Regis natalibus ornor,
Ut iam prætaream cetera, non ne sat est?

[1]) ore *V*; [2]) authoris *V*; [3]) dedi *V*.

Sic fato crines Titan stellante corona
Cingit, et id nutu comprobat alma soror. 30

Ianus Pannonius moriens.

Abstulit atra dies una cum corpore nomen;
Sic miseri nobis accumulamus opes.

Iani Pannonii Panegyricus in Renatum. [1])

O qui Romani genus alto a sanguine ducis
Marcelli, o Venetæ maxima fama togæ!
Accipe magnanimi laudes, Iacobe, Renati!
Accipe mandatis carmina facta tuis!
Quod si mandabis, maiora volumina condam, 5
Smyrnæum numero præteritura senem.
Suscipe, quæso, rudes, Regum clarissime, nugas,
Nomine quas lusit nostra Camena tuo.
Non mea quo priscum rescindant carmina vulnus,
Quod iam longa potest consolidasse dies; 10
— Nam iam bissenos Phœbus circumtulit annos,
Sustulit ut regnum fraus inimica tibi, —
Sed quo se potius remeandi concitet ardor,
Ut reparet virtus, quod rapuere doli.
Te cupidus resonis iterat Garganus in antris, 15
Ingeminant nomen saxa Salerna tuum.
Quare age nubiferas transcende ferociter Alpis,
Causa tibi faciles suggeret æqua deos.
Tum graviore tuos plectro resonabo triumphos,
Carmina tunc hilaris candidiora canam. 20
Pro te nec lucis discrimen adire morarer,
Nec quicquid possunt corpora ferre mali.
Præcipe, flagrantem saliam moriturus in Aetnam;
Præcipe, per Syrtes naufraga vela dabo.
Non tibi me solos fateor debere libellos, 25
Quippe tuus longe plura meretur amor,
Sed qui iam pridem bis quinis mensibus actis
Alterius vates te rogitante fui,
Nunc idem tuus esse paro, licet ipse recuses;
Orditur iam te nostra sonare chelys; 30

[1]) A czímet én adtam hozzá.

Nec mea spirarent faciles in carmina Musæ,
Ni caneret mores pagina grata tuos.
Tu primum nostros dignatus videre lusus
Cœpisti ingenio sponte favere meo;
35 Tu primus patrio miseratus ab orbe remotum
Dixisti auxilio velle iuvare tuo.
Cum tamen accingar, iam te memorare parumper
Cunctabor, donec quæ geris arma geres;
Nam licet acta tuæ multum sint clara iuventæ,
40 Expectare tamen nobiliora iuvat.
Interea votis superos ac voce precabor,
Ut redeas fuso victor ab hoste brevi.

Res hominum tacito quondam sub pectore volvens
45 Fata vetustati nimium favisse ferebam,
Quæ tot præstantes [1]) habuit probitatis in omni
Conditione viros, olim quos fama perennis
Et quæ nam cælo faciet perducere vitam.
At contra divis iratus sæpius ipsis
Aetatis nostræ sortem miserabar iniquam:
50 Iam penitus Curios, iam defecisse Metellos,
Nullos Scipiadas, nullos florere Catones.
Nec fati certas poteram deprendere causas,
Ipsane consuetos imitasset sydera cursus,
Viribus an priscis languens natura careret.
55 Expulit hunc nostro prorsus de corde tumultum
Nuper magnanimi virtus divina Renati.
Iam nihil ulterius querimur, desistimus una [2])
Et damnare novos, et collaudare vetustos.
Marcelli hic solus titulos, hic Cæsaris implet,
60 Aequat Alexandros, præcellit nomine Cyros.
Vos, o Pierides, cantanti pandite, divæ,
Unde viri tantas exordiar edere laudes.
Nam cum prospexi generosum stemmate [3]) celso
Pace domi iustum, foris acri Marte potentem,
65 Quid prius aggrediar, titubanti mente retracto.
Sic cum vernanti residens in cespite virgo
Circum se varios cernit ridere colores,
Hinc inter calthas [4]) pictum fulgere papaver,
Hinc mixtas canis violas pallere ligustris,

[1]) talán *praestantis?* [2]) unam *V*; [3]) stegmate *V*; [4]) caltas *V*.

Inde rubere rosas, suspensis unguibus hæret, 70
Quem primum tenero decerpat pollice florem.
Sed quo legitimus servetur in omnibus ordo,
Quem natura prius tribuit narrabimus ortum.
Nam titulos penitus Ludovici patris omitto,
Cuius facta licet possint amplissima dici, 75
Omnibus hoc maius [1]) tamen est genuisse Renatum.
Gallica progenies toti notissima mundo
Extremos celebri fama penetravit ad Indos,
Qua nullam lucis genitor videt igneus almæ
Maiorem in terris, seu ponto emergit Eoo, 80
Seu prono Herculeas illuminat axe columnas.
Hæc divum effudit Carolum, qui temperat unus
Omne quod hinc Alpes, hinc terminat alta Pyrene,
Quod Rheni iacet inter aquas et Tethyos æquor.
Hunc tangit fortis sublimi stirpe Renatus, 85
Nam commune genus proavo dependet ab uno.
Sed cupiens vinclo secum propiore ligari
Germanam Regi thalamo sociavit eidem,
Neu non principibus summis per cuncta coiret,
Nata Caledonio nupsit formosa tyranno, 90
Albertus cuperet licet ipsam ducere Cæsar,
Pannonias [2]) qui tunc urbes ditione tenebat.
Gallo aliter visum Regi, cui cuncta licebant.
Si tamen ex istis nil nobilitatis haberet,
Sat clarus tædis Ysabellæ coniugis esset. 95
Palladis ingenium, probitas Latoidos illi,
Et Iunonis inest gravitas et forma Diones.
Hæc est illa ducis Goffredi [3]) clara propago,
Qui primos valido linquens cum milite fines
Hellæas tetigit fauces, transvectus easdem 100
Tempore se nullo iuravit velle reverti,
Ni rubro virides legisset in æquore conchas,
Et Babyloniacas [4]) pulsasset cuspide turres.
Ergo Asiæ latis discurrens impiger oris,
Et ditis Libani colles transgressus odoros, 105
Iordanis sacros potavit casside fontes,
Ac tumulum Christi gentili ex hoste recepit.
Tali gaudet avo coniunx veneranda Renati.

[1]) *magis* V, de *ego maius* a másoló a lap szélén, [2]) Pannonius *V*; [3]) Goffredum *V*; [4]) babilonicas *V*.

Ne tamen indecores partus genuisse putentur,
110 Est illis sexus proles se digna virilis
Præstanti iuvenis facie, fortissimus idem
Bellator, alacer parere paternis [1]),
Munificus, facilis, iustus, pietatis amator,
Factis dicta probans, nec eo solertior alter
115 Rimari silvas canibus, venabula vasto
Prætentare sui, iaculis incessere pardos
Eminus horrentes transfigere cominus ursos.
Historias [2]) vero callet doctissimus omnes,
Illas præcipue, quas facundissimus amplo
120 Livius [3]) ore sonat. Novit, quo monte Quirinus
Bissenas fausto conspexerit omine pennas,
Quantave pro raptis flagrarint bella Sabinis,
Quo Curios fratres superarit Horatius astu,
Qua Brutus primas macularit cæde secures,
125 Quot Fabios unus leto demerserit error,
Spreverit ut Cocles fluvium, vel Mutius ignem,
Curtius ingentem solidarit mersus hiatum;
Vt Capitolinam servarit Manlius ædem,
Mox affectati damnandus crimine regni;
130 Quantum prosterni Decios, vixisse Camillum
Iuverit; ut sanus plus lumine viderit orbo
Appius; ut trabeas trepidis lictoribus [4]) olim
Sumpserit in medio dictator Quintius arvo;
Quid mitis Pyrrhus, quid gesserit Hannibal atrox,
135 Quæ Trebiæ fuerit clades, quæ palma Metauri.
Cuncta tenet [5]) demum Romani gesta senatus,
Quicqnid vel liber, dominis vel subditus egit.
Scilicet in sobolem transit natura parentum [6]),
Ac nihil a proprio declinat longius ortu.
140 Nulla videt damas de fulvis silva leænis, [7])
De barro cervum, leporem de tygride nasci;
Non aquilæ summo gestantis tela tonanti
Rupta Dionæas expellunt ova columbas;
Non tenuis corylus querno de stipite surgit,
145 Non si delphinos balænæ venter aberrat.

[1]) így *V*, a *iussis* (?) szó kiesett. [2]) historia *V*. [3]) Lucius *V*. [4]) littoribus *V*. [5]) tenent *V*. [6]) paratum *V*. [7]) *leaenis* hiányzik *V*-ben.

Haud igitur miror, siquidem de principe tanto
Nil poterat præter memorabile pignus oriri:
Nobile de claro procedit semine germen.
Reddere felicem potuissent tanta Renatum
Commoda: nobilitas, cognati, filius, uxor, 150
Prosperiora suis essent si numina rebus.
Sic etiam felix tamen est, si Stoica veri
Callem secta tenet; miser illa iudice non est,
Sorte licet fati paulo graviore prematur,
Quisquis in assiduo virtutis permanet actu. 155
Ipsam autem hanc primis coluit sic semper ab annis,
Ut pars nulla suæ non sit sanctissima vitæ.
Vix gravidæ in lucem matris prolapsus ab alvo
Prodidit insigni venturas indole laudes.
Parvus adhuc quidem sacri spirare liquoris 160
Ore videbatur; post ut dignoscere cœpit,
Quid rectum, quid turpe foret, tunc pectore toto
Doctrinæ incubuit, tunc mores perbibit almos.
Iam tum assuescebat simulatas ludere pugnas,
Exturbare feras lustris, torquere coruscum 165
Missile, cornipedem pictis frenare lupatis.
Quem dehinc ut teneris lanugo exclusit ephebis,
Paulatim veris didicit sudare sub armis,
Ascensu muros, fossas evincere saltu,
Cuspide nunc sævos, gladio nunc hostibus ictus 170
Inferre, illatis æratam [1]) opponere parmam.
Aestivos soles, brumales [2]) ferre pruinas,
Irrequieta brevi submittere lumina somno,
Victibus haud frangi modicis. Pater ipse volentem.
Haud vana stimulans Ludovicus voce monebat: 175
Quandoquidem nostro debes succedere regno,
Disce prius, iuvenis, qua sit ratione regendum.
Principio quicquid terroris frena coercent, [3])
Nec tutum penitus, nec firmum existere credas;
At placidus quod nectit amor, discriminis expers 180
Ac stabile esse puta; nex immatura Neronis
Indicio est, nec non Augusti longa senectus.
Tu populos igitur, post me cum sceptra tenebis,

[1]) erratam *V.* [2]) brumalis *V.* [3]) coerent *V.*

Conciliare tibi, non vi compescere certa.
185 Rarus in obstantes luctatus nauta procellas
Littus adit; melius laxis incedit habenis
Liberior sonipes. Sed si fortasse rogabis,
Quo valeas pacto studium populare mereri:
Si procul omne abiges vitium, si recta sequeris,
190 Quemlibet haud dubie poteris sperare favorem.
Prima tuo pietas radicem in pectore figat,
Dignas quippe vices mortalibus æqua rependunt
Numina, respiciunt sanctos, odere profanos.
Post hanc iustitiæ studeas servasse rigorem,
195 Sed semper blanda cum mansuetudine mixtum.
Huic comes accedat puræ moderatio mentis,
Ac vere sincera fides; fuge nomen avari,
Ne spolia insontem, cupidus largire merenti
Da faciles cunctis aditus, ne sperne minores,
200 Maiores venerare libens; non ambitus amens
Præcipitet, non te corrumpat blanda voluptas;
Non adversa humilem, faciant non læta superbum;
Quodsi fata prement, vacuas eat omen in auras.
Laudatam mortem turpi præponito vitæ;
205 Non minor utilibus tibi sit respectus honesti.
Consule, quos fecit prudentes longior ætas,
Aut monumenta legens antiquos respice mores.
Par fies superis, si te frenaveris ipsum,
Si cunctos animi motus, si vinceris iram.
210 Tu ne læde alium, quotiens te læderit alter;
O tuis indulge miseris, nec fronte superba
Insulta, nec tu felicibus invidus esto:
Quem mala delectant hominem, quem commmoda lædunt,
Ipse miser certe, non felix esse meretur.
215 Res inopis contra furias defende potentis,
Imbellem validus, ne vexet dives egenum.
Qualis eris, talem te plebs subiecta sequetur:
Regnantum mores imitatur mobile vulgus.
Sic sub Pompilio sacris se rege dicavit,
220 Quæ sub fratre Remi Gradivo Roma vacarat [1]),
Nempe quod huic enses, illi delubra placebant.
Pacem semper ama; sin iusti cura vocabit
Te belli, toto peragendum suscipe nisu.

[1]) vocarat *V.*

Militiæ imprimis expertam delige pubem, 225
Quæ sit fida tibi, nitidis quæ fulgeat armis,
Fortes pascat equos, quales Simoentis [1]) ad undam
Infelix Geticis ducebat Rhesus ab oris.
Protinus ut campos deduxeris agmen in æquos,
Metandis aptam castris circumspice sedem, 230
Securo tuto valeas ubi tendere tergo,
Neu frumenta viris, iumentis gramina desint;
Delitias vallo remove procul exule luxu [2]),
Discere coge rudes, prohibe dediscere doctos,
Neu solas urbes iuste rescisse puteris. 235
Et castris pariter leges admitte togatas;
Armatus medio ius dicat in aggere prætor,
Et reus austero trepidet sub iudice miles.
Qua datur, hostiles transfer certamen in agros,
Ut servare tuos, illos absumere possis. 240
Ingens crede nefas ictum dissolvere fœdus,
Aut oratores manibus violare nefandis.
Quod minus ut facias, paribus reminiscere causis,
Divulsum Metum, stratam tellure Corynthum.
Non numero metire tuum, sed viribus hostem, 245
Ut paucos horrere scias, contemnere multos;
Nec te consilio pudeat superare, vel astum
Addere virtuti, fraudis tamen effuge crimen.
Nunc subito adventu necopinas [3]) opprime partis,
Nunc insultantum cunctando frange furores: 250
Tantum Romano Fabium tardasse morantem
Profuit imperio, quantum celerasse Camillum.
Ambo in supremis patriam iuvere periclis;
Hic ultor lapsæ, vindex fuit ille ruentis.
Si collis capiti superimminet, arripe collem, 255
Si pons nectit aquas stationem ponte locato.
Opportuna cavas arctat si semita [4]) fauces,
Qui capiant angusta viæ, præmitte maniplos.
Lux ubi transierit, vallo dispone fideles,
Providus excubias vigilet quæ nocte vicissim. 260
Invadendus erit, prius explorabitur hostis;
Vectabit plaustris pugnam, tunc mille per artis
Eliciendus erit; nunc illum probra lacessant,

[1]) Simeontis *V* [2]) an *Procul exige luxum?* [3]) nec opinas *V.* [4]) semina *V.*

Ceu timidum sæpe ipse aliquos simulare pavores
Incipe, vel subitos alio molire [1]) recessus.
265 Sin obsessus erit, celsasve recedat in arces,
Vinea, testudo, cuneus, [2]) balista paretur,
Nunc aries portas quatiat, nunc pondere vasto
Horrida turritos impellat machina muros.
Sed cave, ne capiat te cassibus hostis eisdem;
270 Quod facies illi, ne tu patiare videto,
Ne tibi fallaci simulatus transfuga vultu,
Subdita nec fictis imponat littera signis.
Postremo pugnæ dabitur si quando facultas,
Congruus instructas fac explicet ordo phalanges.
275 Planities equitem, peditis locus arctior usum
Exigit, aut rigidæ saxoso vertice rupes.
Tunc certaturas dictis accendere turmas
Nonnihil expediet, siquidem facunda diserti
Pro lituo sunt verba ducis; nam duplice fructu
280 Virtutem præstant ignavis, fortibus addunt.
Sed semper geminas saltem sepone cohortes [3]);
Ex illis vacuum custodiat altera vallum,
Altera post primas acies intenta latebit,
Integra quæ fessis subeat, vel ab hoste peremtis [4]),
285 Ne [5]) rumpens seriem miles [6]) vexilla relinquat,
Sed maneant omnes fuerint qua parte locati.
Ac simul æra canent, totis confligere nervis
Obnixos totas iubeo depromere vires [7]).
Hic tu spumanti medium discurre per agmen
290 Lætus equo, celeri poscentibus ipse minister
Suggere tela manu, certam promitte salutem
Confossis, revoca fugientes, erige lapsos.
Optimus ille [8]) fuit, quisquis duo munera solus
Militis impigri, cauti ductoris obivit.
295 Si fortuna tuis inviderit improba rebus,
Haud subito primis fractus succumbe ruinis.
Si contra annuerit, noli crudeliter uti:
Dignior est vinci, victis [9]) qui parcere nescit.
His demum exactis, ut mox tibi promptius adsit,
300 Debita laudatæ reddantur munera pubi.

[1]) mollire *V.* [2]) runcus *V.* [3]) choortes *V.* [4]) parentis *V.* [5]) Nec *V.* [6]) viles *V.* [7]) depremere viros *V.* [8]) illi *V.* [9]) motis *V.*

Hæc docili nato genitor præcepta ferebat.
Qui simul ac meritum senior conscendit Olympum,
Tradita succedens excepit sceptra Renatus;
Nec populus dominum sensit mutasse priorem,
Hoc uno excepto, quod laudes iste paternas 305
Excessit, quantum genitor superarat avitas.
Non graciles humeros, nec molli virgine dignum
Celsus honorato candorem corpore præfert;
Pollent ingentes præduris ossibus artus,
Ac [1]) multo solidi firmantur robore nervi, 310
Qualis Phlegrææ gelidis in rupibus [2])
Surgit procero sublimis stipite pinus.
Hinc cunctis dignus solio censetur, et ipsum
Maiestate Iovem, spatioso pectore Martem
Aequat, et adversos sic territat arduus hostes, 315
Ut Capaneus Tyrios, [3]) ut Troas sævus Achilles.
Quisquis magnificis ornatus convenit aulis,
Semper in ipsius laribus fulgere superbis
Cernitur; aut manibus fortes, aut mente sagaces
Gaudet habere viros, ne quando scilicet illi 320
Vel prudens Nestor desit, vel strenuus Aiax.
Nec putat indignum picturæ impendere curam,
Cum sciat huic priscos multum indulsisse Quirites.[4])
Nec vult eloquio contentus abire Latino,
Ni Graias etiam perdiscat sedulus artes; 325
Nec procul arcanis thesauros parcus in arcis
Condit, et hunc auri pretioso pondere donat,
Pinguibus hunc arvis, opulentis urbibus illum.
Præcipue vere [5]) largitur munera doctis
Multa viris; novit iuris servare tenorem, 330
Sed pœnam semper leniorem crimine reddit.
Quicquid in antiquis ducibus laudabile legit,
Miratur. Varias Mithridatem scisse loquelas
Audierat, noluit [6]) laudes contingere easdem,
Nam præter patriam vocem, quam parvulus hausit, 335
Dum tener in cunis reptabat mollibus infans,
Scit Mauro sermone loqui, scit voce profari
Germana; Latio qui senserit ore sonantem,

[1]) At *V*; [2]) Így *V*, talán *orae*-t kell kiegészíteni? [3]) Campanens tirias *V*; ***tyrius*** itt annyi, mint *Thebanus*; [4]) Quiritos *V*; [5]) vera *V*; [6]) voluit?

Nutritum Hetrusci ripis iurabit in arvi.
340 Nil leve, nil falsum loquitur, sed quicquid ab altis
Pectoribus fudit, sic re confirmat, ut illis [1])
Non sint vera magis Cumææ dicta Sibyllæ.
Qua Christum pietate colat, qua mente futuros
Prænotet eventus, ceu plenus Apolline vates,
345 Ignoti norunt populi, quos mersus in undis
Sol videt adversas nobis defigere plantas.
Nec solum magni sequitur documenta parentis,
Sed plura ingenio per se complectitur acri.
Unum præ cunctis regem veneratur amicis,
350 Qui Transalpinæ dominatur gentibus oræ.
Huic etiam generi semper contrarius armis
Affuit, hoc hosti natam mandante locavit.
Ille etiam summos semper sibi fertur honores
Ac fratri præstare suo, nam diligit ambos.
355 Ante alios proceres et regni in rebus agendis
Aequali sacras partitur pectore curas.
Nec mea commentas nugantur carmina laudes;
Gallica, quæ refero, testatur, et Itala tellus,
Testatur mundus; sed ne conficta putentur
360 Acta probet saxo [2]) nec me reprenderit ullus
Si casus memorabo [3]) suos: nam pectoris altum
Indomiti robur fortunæ urgentis in ictu
Spectatur; facile est sortem perferre secundam.
Iam prope tot magnos evolvit Cynthius orbes
365 Troica quot Pyliæ donavit Musa senectæ,
Ut maris extremo trucibus de gurgite Gallis
Sæva pharetrati moverunt bella Britanni.
Ergo ubi consuetæ caluere furentibus iræ,
Signa canunt pugnam, neutri sine sanguine certant,
370 Ille autem medios longe progressus in hostes
Plurima letali sternebat corpora ferro.
Non ego si centum voces sortirer ahenas,
Dicere nunc possem, quid Mars suus egerit illic,
Donec mille viri cuneis coiere coactis
375 Et clausere ducem. Non spes erat ulla salutis,
Non sociæ obsesso poterant succurrere turmæ;

[1]) illos *V.* [2]) faxo? [3]) memorare *V.*

Quæ tamen interea se cominus obtulit illi,
Vel posuit vitam vel saucius inde refugit.
Iam sonipes multis ictus defecerat hastis,
Iam manante novo totos sudore per artus 380
Languida continuo torpebat dextera motu;
Acrius infestis pergunt incurrere telis,
Iniectantque manus cupidumque resistere prensant.
Herculis ille labor potuisset frangere vires,
Et Martis; tandem succumbit pluribus unus, 385
Ac procul hostilem trahitur captivus ad aulam.
Mox reditum pactus liber de carcere cessit,
Ut posset Gallum paulisper visere regem.
Has dum trans gelidas diversis partibus Alpes,
Qua tranquillus Atax, Rhodanus qua sævior errat, 390
Versant [1]) fata vices, Italis tantisper in oris
Inclita Campani moderatrix femina regni
Migrat in Elysias defuncto corpore sedes.
Ergo legitima spoliati præside cives
Ad successorem legatos sponte Renatum 395
Cum ter centenis signati milibus auri
Festinare iubent, missi quem talibus orant:
Accelera, ne nos indebitus occupet heres.
Non fidi comites, non ampla viatica desunt;
Te nobis dominum morientis adoptio fecit 400
Reginæ, quæ nunc solium cum luce reliquit.
Omnibus ille tamen spretis, ne perfidus esset,
Maluit in sævas iterum remeare catenas.
Vile tamen ducens, si tam præsentibus uti
Negligeret superis, donec foret ipse redemptus, 405
Tendere Campanas uxorem iussit ad urbes.
O facinus toto passim memorabile mundo!
O fidei specimen mortali haud ore canendum!
Cuncta vetustatis sileant monumenta verendæ;
Attilium prisci cessent [2]) iactare Quirites! 410
Nam si dispicimus, non illum in vincla reverti
Cum tanto oblatum censu diadema vetabat,
Præterea invalidis iam prorsus inutilis armis
Ac morti vicinus erat; si quæritur ætas,

[1]) versa *V.* [2]) censent *V.*

415 Hic vixdum octavi transegit tempora lustri.
Interea Hispanis veniens a finibus hospes [1])
Invadit positas nullo sub principe terras;
At regina tribus pontum permensa carinis
Invenit externam Campano in littore classem.
420 Hic unam fusis intercipit hostibus alnum,
Te pariter, Caieta, rapit. Spectare iuvabit
Ipsam exhortantem socios ac tela ferentem.
Talis Amazonias agitabat in arma catervas
Hippolyte, talis Graios peltata premebat
425 Penthesilea duces; sic victrix protinus altam
Intrat Parthenopem, quam tris tutata per annos
Absentis partes implevit sola mariti.
Ipse etiam dulci iam libertate potitus
Advenit tandem; sed si tunc fata dedissent
430 Integra regna sibi, non sic depulsus abisset,
Nec nunc ignoto servirent illa tyranno.
Sed dirus magnam possederat advena partem;
Urbanis etiam vicinæ mœnibus arces
Partim descierant, partim descire parabant,
435 Nam gravis obsidio miseros sine fine premebat.
Is tamen, ut pugnae misit sibi signa Renatus,
Immunita procul metuens castella recepit
Rom sibi cum summo gnarus ductore futuram.
Parva sæpe manu multos qui fundere suerit,
440 Cui par calliditas dextræ foret, ille relictæ
Urbi præsidio cedentis terga secutus
Oppida felici reparavit plurima cursu,
Qua Peligna rigant crepitantes [2]) iugera rivi,
Inde revertenti multis cum milibus hostis
445 Obstructum præclusit iter, qua nobile surgit
Castellum, — indigenæ Pellosam nomine dicunt —
Unde viro nullum [3]) iam præstabatur ad urbem
Effugium, sed erat limes mucrone secandus.
Ergo ubi perspexit, quantum situs esset in arcto,
450 Compositas certo raptim locat ordine turmas.
Iocundus sane vestitas ære phalanges
Cernere terror erat nondum clamantibus ipsis.

[1]) talán *hostis!* [2]) crepidantes *V.* [3]) *multum V.*

Stridebant solis tenues hinnitibus auræ,
Non dum districtus tremulo fulgore micabat
Ensis, adhuc summis insectæ nubibus hastæ 455
Ceu nemus extabant truncum; maiore nitebat [1])
Omnis luce polus, splendorem quippe diurnum
Arma repercusso geminabant splendida Phœbo.
Tum Zephyro cristæ [2]), Zephyro vexilla tremebant,
Spineus argutis manabat nimbus habenis. 460
Ille ubi directum sublimi lætus obivit
Ter quater agmen equo, celso super aggere sistit,
Ac tali ternos hortatur voce cohortes,
Quos solas tanto secum in discrimine habebat:
O, sæpe in magnis ipso me teste periclis 465
Spectati iuvenes, o, præstans robore sanguis,
Ne trepidate, precor; non nos delere parantes
Sic sepsere dei! præclaram laudis habemus
Materiam, qualem nobis [3]) optare licebat.
Vos modo tam prono divum ne deesse favori, 470
Nec tantum pedibus, quantum confidite dextris.
Nos sperare decet, gladios quod stringimus æquos:
Semper iusta fovent meliorem numina causam!
Nescio, quis veniens ab Iberis Cantaber oris,
Immeritum proprio tentat modo pellere regno. 475
Scilicet huic Mavors, huic ipsa favebit Enyo,
Hunc fera terribilis tutabitur ægide Pallas.
Sit licet in castris miles numerosior illis,
Haud formido; tantum [4]) timidi diffidere paucis
Consuevere duces, elati fidere multis. 480
Non numerus palmam, sed virtus præstat in armis:
Testes Thermopylæ, testes Salaminides undæ.
Pellæus toto vires oriente trahentem
Traditur imparibus totiens superasse maniplis
Darium; tumido levius nec Xerxe [5]) frementem 485
Lucullus parvo Tigranem [6]) milite vicit.
Hinc mixti Gallis Itali densantur, at illinc
Barbarus insanos effundit ductor Hiberos,
Qui nuper toto lembos egere profundo,
Pro frenis remos, pro signis vela regentes. 490

[1]) nitebant *V.* [2]) Christe *V.* [3]) notis *V.* [4]) tamen *V.* [5]) Xerse *V.* [6]) Tygranem *V.*

Quare agite imbellem forti perstringite turbam
Pectore, dum salvi trepidam penetramus ad urbem.
Si tantum transire datur, vicisse putabo.
Sic ait, et frontem fulgenti casside tectus
405 Irruit in medios, qua conferctissima pubes
Obstabant; equitum turmæ glomerantur eodem,
Succedunt pedites, nec pars adversa moratur....

Galeotus Martius Narniensis ad Joannem Pannonium. [1])

Docte salutatum vult te mea Musa, Joannes,
Egregios inter connumerande viros.
Multotiens volui dudum ad te scribere, si quid
Temporis aut oci nactus et ingenii!
5 Sed doleo, quoniam adversa valetudine pressus
Conticui curis implicitusque meis.
Nunc quia languentes animi curæque parumper
Cesserunt, ægris aspera turba viris,
Ad te constitui, musarum si quid Apollo
10 Dedidit, hos versus litterulasque dare.
Non quo noster amor possit cumulatior unquam,
Carminibus fieri, nec minor ipse, meis;
Nec mea quo fuerit tibi mens alienior unquam
Carminaque exoptem nostra reconcilient.
15 Nil magis insulsi, nil est magis usque cavendum,
Quam colere Aonios cum levitate viros;
Præcipue mira vitam gravitate futurum,
Dicere seu prosa carminibusque velit.
Sed quoniam nequeo te visere care, Joannes,
20 Officium faciat quo mea Musa meum,
Oscula mille tibi atque amplexus nomine nostro
Ipsa daret, iussi; — casta puella timet.
Nimirum Musas omnes decet esse pudicas:
Dedecet ignotis oscula ferre viris.
25 Ipse etiam iussi, nostra hæc ut verba referret:
«Salve spes Latii Pannoniæque decus!

[1]) Cod. Vindob. lat. nr. 3449. saec. XV. fol. 906. Először kiadtam az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben, III. p. 7.

Salve conspicuos inter celebrande poetas,
  Nobis qui curæ, Pieridumque choro!
Et quem complexus miro Galeotus amore est,
  Martius Aonio deditus ipse viro.» 30
Hæc mea Musa feret, docui; sed plura volebam,
  Ni sermone meo longius esset opus.
Ergo vale nostri requies portusque laboris,
  Vitæ, Pannonie, spesque salusque meæ!
Fata, precor, servate meum per secla Johannem, 35
  Dimidiumque animæ, tu quoque, Parca, meæ.
Nam puer, et tenero complentur stamine fusi,
  Nondum maturum desine velle virum;
Ut vobis possit, fuerit cum grandior ævo,
  Reddere pro meritis munera, thura, preces. 40

Vale.

Franciscus Durantus Fanensis ad Jannem Pannonium. [1])

Volvebam quotiens veterum monumenta virorum,
  Et legerem Aonio carmina tincta lacu,
Inspicerem quotiens summorum numina vatum,
  Spem posui totiens posse redire modo.
Credulus ipse fui, Poenus quæ dixerat ante, 5
  Intentata quidem nullus adire potest.
Nunc ego quid credam, terres venerande poeta,
  Me tibi tam docto non adhibere fidem.
Inde meam nollem penitus confundere mentem,
  Cumque tuis ventis nostra carina natet. 10
Surgere iam video madefactum fonte Joannem,
  Fonte Guarineo terque quaterque bibit.
Qui cecinit ventos dictu sua iura tenentes
  Aeolo et horrenda sceptra tenente manu.
Multa quidem audacter multi cecinere poetæ, 15
  His cytharam sensit nulla rigare manus.

[1]) Cod. Mutinensis lat. MS. IV. F. 22. (fol. 40.) saec. XV. Először kiadtam az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben III. p. 8. V. ö. különben Janus Pannoniusnak *Ad Franciscum Durantum Fanensem* czímű elegiáját (a Teleki-féle kiadásban I. p. 414—415.)

Quam bene descripsit Boream pro laude furentem,
Rettulit et voto præmia digna suo.
Tum Zephyrum atque Notum madida cum veste reponit,
20 Nec sine laude suum tam bene scribit opus.
Mittit et ingentes currens de pectore voces,
Viribus atque suis credere cuncta premit.
Argumenta quidem nullis celebrata poetis
Nunc video scribi tempora nostra dare.
25 Non opus Aonias posthac volitemus ad undas,
Quærere nec Clarii dulcia verba dei.
Perge igitur: madidumque refer te fonte Guarini;
Solvatur semper gratia magna sibi.

Eiusdem [Baptistae Guarini] versus ad Reverendissimum Dominum Janum Pannonium Episcopum Quinqueecclesiensem. Pro equo dono dato gratias agit. [1])

Munere non tantum, præsul doctissime, lætor,
Quantum iudicio glorior ipse tuo.
Iane pater, cuius meritas perstringere laudes
Non valeat fontis vena maligna mei,
5 Tu Latiæ Graiæque simul spes optima linguæ,
Te cuncti priscis dicimus esse parem.
Pallada crediderim Phœbumque, novemque sorores,
Thraciaque armifero qui terit arva pede,
Ante Iovem tales quondam fudisse precatus,
10 Dum caneret vates bella futura Themis;
Contra Turchorum populos, regemque superbum,
Ut te pontificem sæcula nostra darent,
Qui sævo regeres hosti contermina regna,
Et forti premeres arma inimica manu,
15 Facundus Latias posses legatus ad urbes
Dicere pro sacra plurima verba fide.

[1]) Cod. Marcianus cl. XII. cod. 135. Először kiadtam az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben III. p. 9. 10. E költeménynek nagyon eltérő akár korábbi, akár későbbi recensiója, megvan Baptista Guarino költeményeinek modenai kiadásában is (1496) és Janus Pannonius Teleki-féle kiadásának függelékében.

Credibile est igitur patrem mandasse supremum
Ortus Gradivo Mercurioque tuos.
Nectare te parvum dulces aluere Camenæ,
Nutricesque tulit docta Minerva manus. 20
Firmior hinc ætas magno est commissa Guarino,
Ornandumque probis moribus ingenium.
Nec te pulchra minus Ferraria gaudet alumno,
Quam læta est ortu Pannonis ora tuo.
Sic te nostra bonum viderunt tempora vatem, 25
Quales in cælum sæcula prisca ferunt.
Nam seu nobilium scribis connubia regum,
Funera seu ploras, seu fera bella canis;
Altisono quicquid celebrandum carmine sumis,
Noscimus eloquii flumina larga tui. 30
Hinc te Pannoniæ summo Rex clarus honore
Afficit et procerum turba verenda colit,
Hinc urbs pontificem te Quinqueecclesia cepit,
Hinc bene divinæ consulitur fidei,
Cum te consilio magnis ductoribus æques, 35
Et lingua promtus bella manuque iuves.
Tales sancta duces votis ecclesia poscit,
Protegat ut miseros debita cura greges.
Is mihi bellorum damno fuit unus in isto,
Quod vultus nostra conspicor urbe tuos. 40
Quippe tuum læto adventum sic vidimus ore,
Ut solet æthereo plaudere Creta Iovi.
Ergo minus dono, quam doni auctore movemur,
Dantis honos pretium munere maius habet.
Cornipede in niveo cum me vaga turba videbit, 45
Pannonii vatem præsulis ire feret.
Verum opis haud nostræ est, dignas, pater optime, grates
Solvere, nec meritis præmia iusta tuis.
Mens tibi mercedem virtutis conscia reddat,
Et quæ respiciunt numina sancta pios. 50
Illa tibi ad patrios salvum remeare penates
Hosteque de tumido gaudia longa ferant!

Eiusdem carmen ad Janum, quod sibi promissum librum non incipiat.[1])

Scribere te nostrum dixisti, Iane, libellum,
Cum sit nulla [2]) tua charta notata manu.
Poscenti, quid agis, scribam nunc, hercule, scribam,
Adiuras equidem, nil tamen ipse facis.
5 Hæc tua, Iane, fides? præbent hanc carmina mentem?
Hocne datur sacris vatibus officium ?
Vatibus ipse reor fas esse in carmine tantum
Fingere, fingendo ducere materiam ;
Non tamen his liceat vanas contexere fraudes,
10 Molirive mala cum ratione dolos.
Scripturum festis spondes te, Iane, diebus,
Sed torpent digitis plurima festa tuis.
Antiquum veteres Ianum finxere bifrontem,
Ut meminisse queat, præque videre simul.
15 Non tamen ipse vides, quæcunque futura trahantur,
Si me perfidia fallere, Iane, queas.
Nam pater omnipotens Parcarum fœdere sanxit,
Impune ut valeat solvere nemo fidem [3]).
Testis adest Cadmi rexit qui perfidus aulam,
20 Qui nec germano debita regna dedit ;
Ipse tamen vitam fraterno vulnere fundens
Fœderis abrupti præmia digna luit.
Testis erit magno traiectus ab Hercule Nessus,
Dum fert te invito, Deianira, viro.
25 Albanum celeres lacerum sparsere quadrigæ
Ausum Romani prodere signa ducis.
Hæc igitur doceant dictis exempla manere,
Te doceant, inquam, fallere nolle fidem.
Illum ego numinibus credo natum esse benignis,
30 Si quem, aliena sui, Iane, pericla monent. [4])
Te quoque si pigeat, quod tardior ante fuisti,
Promissique velis iam memor esse tui,

[1]) Cod. Marc. cl. XII. cod. 135. Először kiadtam az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben, III. p. 11., 12. [2]) Így a második kéz a sor fölött; a másoló *rara*-t írt volt. [3]) Eredetileg: *Impune et nemo solveret arte fidem.* A javító *tarte*-t alápontozta és *ut* és *nemo* közé *valeat*-ot szurt be, miért is *solvere*-vel és *nemo*-val helyet cseréltettem. [4]) Így a javító eredeti *movent*-ből.

Do veniam et supplex pia numina voce precabor,
Ut fidei fractæ crimina nulla notent.
Incipiat calamus niveam signare papyrum 35
Materiam ingenio suppeditante novam.
Tempora iam precibus veniunt accommoda nostris,
Nec dabitur votis iusta repulsa meis.
Ecce tibi exacto iam temperat astra leone
Phoebus, et Icariæ [1]) virginis ora tenet. 40
Cessant prætera studiis hæc tempora nostris,
Apta quies operi commoda multa dabit.
Tu modo pollicitis componere facta parato,
Et quoniam doctis turpe carere fide.
Magna equidem surget post hæc tibi gloria, Iane, 45
Corpore mortalis, laude perennis eris.
Scripta hominem faciunt longam per secula vitam
Ducere et æternos vivere posse dies.
Scripta hominem faciunt totum volitare per orbem,
Ireque doctorum cuncta per ora virum. 50
Scripta hominis solida referunt in imagine mentem,
Et quam non valeat rodere tempus edax.
Eia igitur cœptis faveat Cyllenius istis,
Et mota calamum dirigat ipse manu.
Sit, precor, auxilio tibi Pallas: et ægide missa 55
Adveniens magnum præparet ingenium.

Baptista Guarinus ad Janum Pannonium. [2])

Iane pater, multi donum suscepimus auri,
Unde erit utilitas rebus honorque meis.
Pro quo si nequeam meritas persolvere grates,
Sit satis officiis mens mea grata tuis.
Nunc contra nostros hilari cape fronte libellos, 5
Indicium atque animi pignora parta mei.
Sic fiet dignum caris certamen amicis;
Sed fiat iusta conditione tamen.

[1]) A codexben *Icareae* van. [2]) Cod. Marc. cl. XII. cod. 135; melyben e költemény, melyet először az *Egyetemes Philologiai Közlöny*-ben III. p. 12. 13. adtam ki, Baptista Guarino keze által van írva. A költemény czímét én adtam hozzá.

Tu numis certes, fulvoque potentior auro,
10 Ast ego codicibus carminibusque meis.
Hoc mihi cuncta modo fient communia tecum,
Præcipit ut sanctæ fœdus amicitiæ.

Roberti Ursi Elegia de obitu cervae ad Janum Pannonium. [1]

Sidera devovi, cælum, mare, numina, terras,
Et memet, si quid gratius esse potest.
Vita molesta mihi est, oneri mihi vita remansit,
Quæ semper nigros est habitura dies.
5 Tecum, Iane, queror, quocum mihi magna fuerunt,
Pluraque sunt veræ pignora amicitiæ.
Parnassum teneris una superavimus annis,
Una Gorgoneos hausimus inde lacus.
Unica principium nostri quoque causa doloris
10 Cerva peremta meæ præda iocosa manus.
Nata erat in silvis, certum est, tibi vera fatemur,
Fingebat veris moribus illa viros.
Nec mirum, hanc etiam dum staret ad ubera matris,
Cepimus ad patrios retulimusque lares.
15 Mox fera iocundis cœpit mansuescere verbis,
— Erravi non est illa vocanda fera — !

[1]) Roberto degli Orsi Riminiből, jogtudós és költő, Janus Pannonius olaszországi barátjainak egyike, kivel, úgy látszik, Guarinus iskolájában ismerkedett meg.

Ter senos noudum vitae numeravimus annos,
Vix tingit roseas barba tenella genas,
Heic ubi grandaevum dantem praecepta Ouarinum
Audio, qui Latii duxque decusque soli,

mondja a költő egyik elegiájában. (Battaglini-nél: Della Corte letteraria di Sigismondo Pandolfo Malatesta, Signor di Rimino. p. 189.) Fönn közlött elegiáját legelőször Battaglini az idézett értekezésben p. 130 említette, hol a római kéziratból az elegia 7., 8. sorait közölte. Koller i. m. p. 243 az elegiát egész terjedelmében, szép számú hibákkal közölte «e cod. chart. saec. XV. olim Card. Dominici Passionei, nunc Bibliothecae Angelicae Eremitarum Augustinensium Romae», mely kézirat most T. 4. 2. jellel bír. A költemény Ursi Elegiái első könyvének 4-ik elegiája (fol. 11*a*—12*b*); czíme Kollernél *Ad Janum Pannonium*, a kéziratban szintén: *Ad Janum Pannonium*, de a másoló a lap szélén a «De obitu cer» (!) szavakat tette hozzá.

Dum blandiretur mihi, pridem quisque negabat,
Si formam demas, protinus esse feram.
Non levis humanos cœtus mea cerva timebat,
Sed solita infestos sæpe fugare canes; 20
Carpebatque epulas, domini cratere bibebat,
Et tandem nostris vivere docta cibis.
Pro duro quondam dumosa per antra cubili
Formosum vatis legerat illa torum.
Bile tumens solito clauso concurrere pugno 25
Et dura oppositum pellere fronte genu.
Hæc mihi sæpe dedit solatia magna tepenti,
Et potuit curas sola levare meas.
Cerva mihi argento fuit et mihi carior auro,
Aethiopum gemmis, divitiisque Arabum. 30
Multi illam iuvenes, multi petiere potentum,
Effudit surdes ille vel ille preces.
Iussa recedebat, revocata redibat in ædes,
Maximus in rigido pectore sensus erat.
Sperabam tolerare graves patientius annos, 35
Cum premet hoc olim cana senecta caput;
Verum alios casus Parca illi horrenda paravit,
Spemque meam penitus subsecat in medio.
Urbe quidem egressus turba comitante meorum
Cara domi tantum cerva relicta fuit. 40
Anxia cum videat spatiosa per atria nullum,
Me voluit dominum fida repente sequi.
Nec mora præcipiti mox prosilit illa fenestra,
Post casum iacuit stulta peremta solo.
Rure cavas subito mihi murmure verberat aures 45
Nuntia fama boni, nuntia fama mali.
Factum aperit sensum facti novitate nefanda,
Vix potuit ferrum continuisse dolor.
Inde domum repetens cum visere rupta paterent,
Excussit lacrimas protinus illa mihi. 50
O, mihi quot risus et quot mihi gaudia raptim,
Quot mihi delitias sustulit una dies.
Quod possum, mea cerva, tui non immemor unquam
Sanus ero; mores id meruere tui.

v. 34 *tigido* a kézirat, javította Koller.

Vita nequit redimi lacrimis, mea cerva, nec ære:
   Hoc certe fieri numina lege vetant.
Ast ego nunc dignum fiam tibi, cerva, sepulcrum,
   Quæ tibi decerni dignior urna potest.
Ne titulis careas, carmen ponetur in auro,
   Ut gelidam celebret te quoque posteritas.
Cerva, tuo quæ iam domino tam grata fuisti,
   Pectore clausa prius quam bene ventre iaces.

Roberti Ursi Epigramma ad Ianum Pannonium. [1])

Iane, putem Aonio Pœbum irrorasse liquore
   Et caput, et pectus, membra diserta, tuum.
Ludere vivaci tentas nil carmine doctus,
   Quin placidum roseo carmen ab ore fluat.

Janus Pannoniusnak Feroniára írt elegiájának (El. I. 1.) Eroli-féle fordítása [2]).

Salve, o diva Feronia, genitrice
Del sacro fonte, il cui salubre umore
Beve di Narni il popolo felice.

Gia del cancro marin l'astro maggiore
Toccò quasi le branche, e 'l suol già sente
Dell' Icaria canicola l'ardore.

[1]) Megvan ugyanazon Codex Angelicanusban mint Orsi epigrammja első könyvének 54-ik száma (fol. 102*b*). Innen adta ki Koller i. h. Megvan azonkívül a florenczi Biblioteca Nazionale (Magliabecchiana) egy XV. századbeli papirkéziratában is (Cod. Magliabb. Strozz. VII. 8. 1200. Roberti Ursi Ariminiensis Epigrammatum liber primus. fol. 55*b*—56*a*). A költemény czíme a kéziratokban és Kollernél: Ad Janum Pannonium. A 2-ik sorban: *et pectus membra deserta tuum* a flórenczi kézirat; *atque manus membra diserta tuas* a római; *atque manus membra dissecta tuas* Koller.

[2]) „*Miscellanea Storica Narnese* compilata per *Giovanni March. Eroli.* vol. I. Narni. 1858» p. 56., 58. E fordítás, melyet csak curiositás kedvéért közlök, a következő czímű értekezésben van: «Elegia di Giano Pannonio in lode della Fontana di Ferogna, tradotta in volgare ed illustrata. Stampata nelli Album di Roma An. XIX. Pag. 25, e segg.»

Tômi la sete ; e come fu possente
Il Langia pur torla a' Pelasgi feri,
Tu a me la tôi che m'arde intensamente.

Deh la terra largisca al tuo mestieri
Perenne umor! Deh possi 'n ricca vena
Scorrer sempre pe'tuoi ciechi sentieri!

Ecco una volta e due con tutta lena
L'arida gola inghiotte le tue acque
Che ferrea doccia a molto sgorgo mena.

Oh nelle membra che vigor rinacque!
Oh quanto incendio al tuo divin licore
Nelle viscere mie estinguer piacque!

Nè il ventre internamente fa rumore,
Perchè dato mi sia più volte a bere,
Nè in sudor mi dissolve 'l troppo umore.

Onde fu ben se caddemi 'n pensiere
I passi vacillanti 'n cima al monte
Recar suso per l'erto aspro sentiere.

Or mi diletta rimirar di fronte
L'antico Forte a belle torri ornato
Che s'estolle vicino al sacro fonte:

Or udir il fragor cupo m' è grato
Che la bianc' onda del solfureo Nera
Fa sotto giù nel profondo burrato;

E perlustrar con ordine l'intera
Fila de' monti, in cui spira soave
Per lo salubre ciel aura sincera.

Dianzi che quell' ardor cocente e grave
Le fauci m'abbruciava, i'non sentia
Le maraviglie ch'esto loco s'àve.

Qua qua, presto un cavretto il più che sia
Grasso del gregge, e pel suo sangue spanto
Il cristallino stagno in rosso dia:

Qua qua, vegnano fiori, e in una il tanto
Prezïoso licor di Bacco, e scioglia
Il mio labbro a divota laudi un canto.

Salve, o fra quante Ninfe il Lazio accoglia
La più famosa: a Te l'ospite grato
Offre tai don; deh accêt tali con voglia.

Tu all' afflitto mortal, egro straziato
Per lunghe febbri, dài ristoro, e apporti
Un riposo soave e desiato.

Nè solo l'uom ti debbe suoi conforti,
Ma l'etra pur; poi ch' alle stelle aurate
Del tuo roscido umor pascolo porti.

Il Frigio garzonel solo le amate
Tue linfe al nettar mesce, e sol con queste
Marte asterse le sue membre piagate.

Finchè saranno nel mio corpo dêste
Le dolci aure di vita, in ciascun anno
Sciorrò i voti promessi e farò teste:

Ne in culto le Castalie onde saranno
Più delle tue, e nel tuo fonte istesso
I poeti a svegliar l'estro verrano.

Ma intanto, o Muse, eh via, fateci espresso,
Voi che tutto sapete, il ver motivo
Che quest' acqua rinfranca un corpo oppesso.

Delle tre armi e vite Erilo privo
Per la mano di Evandro, invoca i Dei
L'orbata madre col dolor più vivo.

Giove intesa dal ciel pietà di lei
E del suo pianto, le corporee forme
Vuolle cangiarle in piccoli ruscei.

Nè de' fonti vulgar siegu' essa l'orme,
Che'l sommo Padre per solenne onranza
Alli fonti divin le fe' conforme.

Per questo ha pura e assai leve sostanza;
Per questo vince ogn'aspera infermitade;
Per questo ha chiara e bella nominanza

In tutte quante l'itale contrade.

V. LÁSZLÓ KIRÁLYNAK ALFONS KIRÁLYHOZ ÉS BORGIO HERCZEGHEZ INTÉZETT LEVELEI.[1])

Serenissimo Principi Alfonso, dei gratia Aragonum et utriusque Siciliae etc. Regi, fratri et consanguineo nostro charissimo. Ladislaus eadem gratia Rex Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. nec non Austriae, Sleziae, Lucemburgensis et Lusatiae dux, ac Marchio Moraviae etc. Salutem et prosperos ad vota successus.

Serenissime princeps, frater et consanguinee noster charissime. Cum nobis relatum esset Serenitatem vestram cæteris virtutibus suis, quibus ipsa in pacis bellique rebus, inter alios nostri temporis princeps (!) singulariter clara existit, illud quoque adiungeret, ut litteris et scripturarum studiis libenter operam adhibeat, intendens videlicet per hoc in utroque et scripturarum et rerum exercitio, par priscis virtuosis principibus videri pariter et haberi, persuasum nobis e vestigio fuit, ut exemplo S. V. cum aliquando nos a Regnorum et principatuum nostrorum negotiis ad otium solatiumque pro nostra ætate conferimus, gestorum veterum et rerum quæ imitatione digna sunt, studia et notitiam aperimus. Quod ut efficacius consequi valeamus, opportunæ (!) visum fuit nostra super hoc vota S. V. aperire, ut videlicet ab ea in id ipsum adiumenta requiramus, a qua exemplum suscepimus. Quam ob rem singulari fiducia requirimus et rogamus S. V. quatenus librum aliquem vel libros, unum videlicet aut duos, qui vetera Romanorum seu aliorum principum egregia et virtuosa gesta, aut alia antiquorum studia solidius et gravius exprimunt, et qui apud nos legi digni sunt, quorum videlicet apud Vos uberem copiam aggregatam intelleximus, nobis pro vestra erga nos benevolentia, per

[1]) Közölte Ráth Károly a hédervári codexből: *Győri történelmi és régészeti füzetek* II. Győr, 1862 p. 44—46.

hunc Oratorem nostrum mittere velitis nos vero versa vice, si que ex nostris V. S. grata cognoverimus morem gerere S. V. nullo pacto postponemus. Datum Pragæ, civitate Regni nostri Bohemiæ, die secunda mensis Augusti 1454.

Ladislaus Dei gratia etc. etc. Illustri Principi Borsio, Duci Mutinae et Regii Marchioni Estensis ac Rodigii Comiti, fratri et amico nostro charissimo Salutem et fraternum amorem.

Illustris Princeps, frater et amice noster charissime. Cum nobis utiliter persuasum iri cognoscamus, ut dum aliquando nos a Regnorum et Principatuum nostrorum negociis ad otium solatiumque pro nostra ætate conferimus, gestorum veterum et rerum, quæ mutatione (!) dignæ sunt, studia et notitiam capiamus, sequendo in hoc priscorum principum morem, qui in utroque ex (!) et rerum videlicet et literarum exercitio clari habiti, ad ipsarum quoque rerum gubernacula fuisse idonei commendantur, id efficacius sequi et consequi volentes, opportunum duximus, nostra super hoc vota inter alios amicos V. F. aperire, eo respectu, ut confidenter nos aperte ostendamus illa omnia, quæ vel ad status vel animi nostri decorem accedere possunt, Fraternitati Vestræ nobis fore dividua. Revocamus enim nobis in quotidianam fere memoriam summam Vestram in nos benevolentiam, ac singulare honorandi studium erga nos declaratum eo tempore, quo cum domino Imperatore fratre nostro a vobis magno honore suscepti et magnifica liberilitate tractati fuimus, ubi dum virtutes principe dignas et generosum animum in vobis quantum ætati nostræ congruum fuit perspiceremus, magnam ibi ad vos affectionem portavimus, magnumque abinde Vestri amorem nobiscum egredientem exportavimus. His igitur ducti rationibus speciali confidentia requirimus et rogamus Fraternitatem Vestram, ut ad complenda vota nostra superius expressa librum aliquem, vel libros etc. ut supra usque ibi quorum etc. quorum videlicet uberem copiam in archivis dominii Vestri Ferrariensis aggregatam intelleximus etc.

POGGIONAK HUNYADI JÁNOSHOZ INTÉZETT LEVELEI.[1])

Principi Hungariae Gubernatori.

Poggius insigni et illustri principi Johanni Vaivodae regni Hungariae gubernatori plurimam salutem dicit.

Quamvis ipsa fama et sermone hominum multa intellexerim de tuis virtutibus, deque praeclarissime gestis ac singulari prudentia in gerendis bellis, tamen reverendus pater Episcopus Coronensis quocum mihi summa est amicitia, deinde egregius vir Nicolaus decanus Cracoviensis, quocum est mihi vetus consuetudo et benivolentia non vulgaris, an vera essent quae intellexeram percontanti, multo ampliora illa esse dixerunt, quam ferrentur fama. . . . (Magasztalólag emliti a törökök ellen viselt hadjáratait; azután folytatja p. 249:) Scriberem plura de gestis tuis, si ea mihi nota essent, cum nomen immortale mereri videantur. Sed tuae diligentiae erit dare operam, ut ea mihi innotescant per alicuius scripta, quae illa contineant singulatim. Ego postmodum enitar, ut posterorum memoriae demandentur. Et quo amplior detur scribendi facultas, prosequere hoc inceptum tuum et omnes tuas curas, vires, consilia, opes confer in hanc futuram expeditionem, in qua tibi aeterna gloria praeparata est... Romae, die quarta aprilis MCCCCXLVIII.

Eidem Vaivodae Principi.

Licet stulti et temerarii hominis esse videatur Serenitatem tuam a multarum rerum agendarum et cogitationum varietate, prout tanti regni ratio postulat, litteris meis haud magni extimandis avocare, tamen quia sapientiam et humanitatem tuam multis in rebus perspectam iam dudum intellexi, tum etiam quia verbis paucis sum usurus, cepi fiduciam ad te scribendi de rebus praesertim quae tibi gratas fore existimavi. Narravit mihi venerabilis vir mihique amicissimus Nicolaus Vinch, qui ad tuam Serenitatem veniens hac iter fecit, te res meas summo cum desiderio legere,

[1]) Az Angelo Mai által kiadott Spicilegium Romanum X-ik kötetéből. Romae, 1844. p. 247—250. nr. X. nr. XI.

eisque plurimum delectari; quod ex tua humanitate accidere sentio, cum nil in meis sit opusculis quod mereatur tanti Principis lectionem. Tamen vel ut desiderio tuo satis faciam, quod ille me rogavit vel ut sim paulo importunior, quod hac una in re licere videtur, dedi Nicolao duo opuscula ex meis ad te deferenda, alterum contra hypocritas, alterum in quo tres continentur disputatiunculae, quas spero futuras tibi non iniucundas. Mitterem alia opera magis egregia et te digniora, si tempus pateretur. Sed alias, si novero opera mea tibi grata esse, cumulabo te ampliori munere, neque inutili ad boni principis officium. Est enim liber Xenophontis de vita Cyri Persarum regis, in quo optimus describitur princeps, non qualis quisquam unquam fuit, sed qualem deceat esse eum, qui velit iuste imperare. Vale, serenissime Princeps, et quoniam coepisti, sequere studia litterarum, quae tibi maiorem laudem et gloriam quam ulla imperia praestabunt. Illa enim et eorum ministri perpetua oblivione defuncti in obscuro essent, nisi litterarum beneficio nomen illorum foret ab interitu vindicatum. Florentiae.

Andreas Pannoniusnak de Regis Virtutibus czimü müvéből. [1])

. . . Hoc autem opusculum quod nomini tuo magno dedicavi dignum duxi tuæ Serenitati præsentandum et legere et relegere per Reverendissimum dominum dominum Benedictum dei gratia Episcopum dignissimum ecclesiae Boznensis tuum inquam fidelissimum Pontificem. Hic enim et egregiam quandam ac praeclaram indolem ad dicendum habet. Quippe qui non solum morum claritate, verum etiam quodam motu ornatissimi corporis et ipso habitu atque forma ac doctrina praeclarum se semper demonstravit. Tantus est enim verborum eius cursus, et sic evolat oratio, ut vis eius fere omnium excitare posset spiritum. Eius namque oratio tamquam in domum quamdam locupletem et refertam omnibus divitiis atque margaritis ornatam mentes audientium in thesauros sapientiae et scientiae introducit iocundissimasque efficit. Unde merito honorem pontificatus a te accepit, o Rex inclite, et dignus tuae Regiae maiestati et sapientia et consilio assistere.

[1]) Cod. Vatic. lat. nr. 3186. fol. 104*b*—106*b*. E kivonatokat is Fraknói úr szivességének köszönhetem.

Aut certe per illum tuum seraphicum dominum dominum videlicet Joannem Pannonium, Episcopum dignissimum Quinque Ecclesiensem, cuius sapientia et oratio clarior sole stellisque lucidior altissimas causas perlustrans et ad inferiora diffundens. Eius namque eloquentia non solum latine verum etiam graece admirabilis et quasi Physon fluvius de eius ore sapientia egreditur. Vox enim eius dulcis et sonora et quasi organum diversarum melodiarum causas virtutesque resonans. Non solum enim humanas, verum etiam divinas virtutes ita complectitur, ut et aliorum via et exemplar vitae sanctitatis, ut decet praelatum, esse possit.

Vel certe per illum tuum praeclarissimum dominum dominum Nicolaum Niotoldi, dei gratia Episcopum Titiniensem [!], qui non contentus scientia practica, quae a philosophis traditur ad felicitatem politicam, quam adolescens adhuc plenissime didicit, sed etiam scientiam speculativam, quae ad felicitatem contemplativam pertinet, excellentissime ebibit, per quam et altissimas causas speculari possit. Hic enim non solum rerum inferiorum, verum etiam caelestium causas ad dicendum difficultates dissolvere et obscura illuminare sufficiens. Hic vere Israelita in quo dolus non est.

Existimo autem tuam Serenitatem non latere, clementissime Rex, tres de tuis fidelissimis barronibus flore iuventutis decoratos, dominum videlicet Ladizlaum de Vingar, consobrinum tuae Sublimitatis, et dominum Sigismundum de Paloz, ac dominum Nicolaum Prini in hac florida civitate Ferrariensi, quae non solum latina eloquentia, verum etiam graeca, ut altera Athena floret, operosissime atque excellentissime tam graecis, quam latinis litteris operam dare. In quibus primo illud maximarum virtutum genus est excellentia ingenii naturalis. Hii enim iam ingenio felices, quia felicem est nasci ingeniosum, ut sanctus doctor Augustinus inquit. Sunt enim quaedam dona naturae, quae cum homine nascuntur, ut ingenium subtile, linguae solutio, vocis sonus et figura totius corporis et oris. Quibus omnibus hii tui fidelissimi dotati sunt. Quantum autem vitæ claritate et moribus splendeant, sermone non assequor. Ipsi enim sydus patriae et summi aevi decus Pannonienses quasi angeli Dei in terra et in terrenis corporibus habitantes videntur, suo tempore habitaturi in caelis cum Christo Domino.

Vale igitur feliciter, domine domine Matthia Rex praepotens, ac clementissime, in Christo Hiesu, per quem te obsecro et

adiuro, ut mei memor sis, sicut ego semper memor sum tui in orationibus meis cotidianis, et has meas recepisse mihi rescribi facere iubere digneris, ut detur et alias tuae Regiae Maiestati saltem audacia scribendi, si tuam Serenissimam faciem in hac vita videre non fuero dignus. Magistrum autem Marchum clarum philosophum et tuae Regiae maiestati fidelissimum, per quem tuae Sublimitati hoc opusculum transmisi, precibus quibus valeo, tuae Serenitati commendo.

Scripta in Cœnobio beati Christophori prope Ferrariam sacri ordinis Carthusiensis die primo Septembris anno domini Millesimo quadringentesimo Sexagesimo septimo.

[*Baptista Guarinus*] *Ad Petrum Garasdam Pannonium.*[1])

Nescio Lethæi potatis fluminis undas,
  An tua Cimmerius clauserit ora sopor,
An tibi somnifera pulsarit tempora virga,
  Quem peperit summo lucida Maia Jovi;
An Phariæ leto reginæ cognita serpens 5
  Intulerit membris vulnera blanda tuis,
Mandragoræ an biberis succos, apiique venenum,
  Pocula vel gelidis mixta papaveribus;
An lolium et mensis tibi sit lactuca secundis,
  Aut quicumque liquor somnia lenta parit; 10
An gravis oppressos teneat lethargus ocellos;
  An foveant somnos Latmia saxa tuos.
Namque ego sponte tua nunquam cecidisse putabo,
  Immemor ut subito cœperis esse mei.
Cui tua sunt semper tractanda negotia curæ, 15
  Cui fueris quam sis carior ipse tibi.
Nam mihi tu primis longe dilectus ab annis,
  Cum similis studii me tibi iunxit amor.
Si quid scripsissem: primus mea scripta legebas,
  Et mihi tu primo scripta legenda dabas. 20
Primus nos e iocos et seria nostra solebas,
  Arcanis poteras solus adesse meis.

[1] Baptista Guarino költeményeinek modenai kiadásából («Mutinae a H. Dominico Rococciolo an. 1496, XIV-o Kal. Octobriis» p. 20. 21). Ujra kiadtam az «Egyetemes Philologiai Közlönyben» IV. p. 99.

Tu convictor eras certoque domesticus usu,
Non sine te noctes, non abiere dies.
25 Tu foris atque domi, plena tu gratus in urbe,
Tu vacuo nobis rure sodalis eras.
Si quid iucundum nobis fortuna tulisset,
Reddebant hilares prospera fata duos.
Si qua dies aderat nigro signanda lapillo,
30 Lædebant pariter fata sinistra duos.
Non tam pura fides, nec priscis fœdus amicis,
Quam mea nexa tuis pectora pectoribus.
Aut igitur nobis aliquid rescribe, Garasda,
Aut torpore gravi te fateare premi.
35 Aut si forte meo credis te vulnere læsum,
Dic animum quænam verterit ira tuum.
Nam vel suspectæ purgabo crimina noxæ,
Vel te ipso pendam iudice supplicia.

Koller, Episc. Quinqu. IV p. 338-ból.

Nos Vitus... Episc. Bodoniensis per presens Scriptum publice recognoscimus nos accomodasse ab Anthonio de Corona arcium liberalium bacalarium quendam librum quadrate mediocris facture continentem in se vocabula secundum ordinem alphabeti una cum exposicionibus ipsorum tali sub condicione, ut quandocunque pretactus liber a nobis postulatus fuerit indylate et sine aliquo nocumento illesum restituamus eidem Baccalario predicto etc. Datum Quinqueecclesiis feria sexta post octavam Corporis Christi A. D. 1469.

De vita et moribus Gregorii Sanocensis Arch. Leop. Auctore Philippo Callimacho Buonacorsi. [1])

p. 44. 45. Vladislaus qui iam apud Polonos regnabat, ad Regnum Ungaris accitur, qui tum memor consuetudinis, qua dum puer erudiebatur Gregorius aput se fuisset, tum percitus fama, quae de virtute atque integritate hominis circumferebatur, eum

[1] «Pomniki Historyii Literatury Polskiey. Wydal *Michal Wiszniewski* w Krakowie. Tom IV» p. 35–83.

dignissimum iudicavit, quem non solum in humanis rebus consiliorum participem haberet, sed in iis etiam, quae ad religionem et pietatem attinent, consientiae [!] suae arbitrum deligeret, cuique placandi conciliandique sibi Deum immortalem per sacrificia caerimoniasque alias maxime curam crederet. Id munus Gregorius.. recepit.

p. 49. (Gregorius a várnai csata után) in Ungariam rursus se recepit, cuius quidem illuc reditus multis charus fuit, sed inprimis gubernatori, apud quem omnium rerum summa remansit extincto Vladislao. Itaque statuit curæ ac disciplinae Gregorii filios suos Ladislaum et Mathiam committere, inter primas ipsorum felicitates ducens, quod eis ab illo viro erudiri contingeret, qui regis mores ac vitam temperare consuevisset. Id negotium propter amplitudinem principis Gregorius libenter suscepit, et mira quadam dexteritate ac diligentia pueros illos ita erudiebat, ut tam de moribus, quam de doctrina eorum iam tum optime sperari posset. Praeerat tunc in Varodiensi [!] Ecclesia omnium Episcoporum laudes transgressus doctrina et vitae ac morum eleganti a Johannes Gara [!], qui postea merito translatus est ad Metropolim Strigoniensem. Is omnibus modis allicere ad se Gregorium studebat. Sed non prius id assequi potuit, quam Gubernatori persuasisset commodius filios erudiri posse per hominem propriae linguæ, quam a peregrino. Factus itaque Gregorius potens praeter alia munera, quibus propemodum ipsum ditavit, offerente se occasione illico in Collegium Canonicorum suorum admisit, ut non solum commode, sed cum aliqua etiam dignitate apud se esset. Exinde semper consiliorum participem, studiorumque sotium, et adiutorem habuit; adeoque hominis ingenio et moribus delectabatur, quod non solum mensam, sed cubiculum fecerit esse commune. Gregorius ipse statim omnium collegarum favores solita ingeniio [!] dexteat e [!] promeruit. Quorum nonnullos prout vita excessissent oratione aut epitaphio exornaxit [!], Episcopo vero ita obtemperabat, ut inter res maxime adversas numeraverit postea Gregorii ab se separationem. Erant ibi eodem tempore duo viri eruditissimi, Paulus Vergerius et Philippus Podochatherus, quorum ob diversam necessitatem ille Italia, iste Cypro relicta, contulerant se ad eundem Episcopum, veluti ad confugium bonorum omnium ac literarum asylum, quoties calamitas aliqua in-

gruisset. His [!] studia et morum similitudo facile Gregorio coniunxit, valuitque ad conciliandam amicitiam in tanta nationum diversitate iidem erga bonas disciplinas affectus, sed quamvis in eis par doctrina esset, non eadem scribendi ratio erat: nam Paulus quidem oratione plurimum valebat, Philippus pangendo carmini erat accomodatior. Itaque Gregorium, qui utrique generi scribendi se conformare studebat, prout cuiusque ferebat ingenium, alter versiculis, alter oratione provocabat. Exercitationum vero ipsorum udex accedebat Episcopus, sed et plerumque ipse alicuius partes suscipiebat, eodumque genere exercitationis ingenium excolebat. Nullus locus, nulla vigilia, nulla mensa, nullum tempus sine honesta confabulatione transigebatur, in quocumque sermone prima erat de doctrina ratio. Itaque eo contubernio nil dignius, nil sanctius esse poterat; omnes sermones aut de utilitate, aut ad utilitatem iusti tuebantur. Procaces et impuræ fabellæ dedicatitesique [!] obscænæ, quibus plerique alii velut animum relaxaturi dant operam, illic pro nefario crimine habebantur, tanquam præludium aditumque aliquem ad facinora; nec putabant fieri posse, ut mens illius pura maneret, cujus lingua et verba essent impurissima. Erat itaque operæ pretium intueri Episcopum cum tam probis viris de omni virtutum genere certare, illos etiam accuratius elaborare, ut doctiores melioresque in dies fierent, ad quod etsi bona eos natura et institutio ducebat, tamen eo impensius se ipsos stimulabant, quo manifestius intelligebant nonnisi per virtutem posse, quem nacti erant, honeste vivendi locum obtinere. Assiduæ inter eos disputationes erant variæque interrogationes, prout res aut locus aut tempus efflagitaret. — Ex quo factum est, quod cum aliquando Episcopus pro facultate sua dicendique copia memoriter et ornate recensuisset varietatem fortunæ utriusque Pannoniæ et qui mortales diversis temporibus eas terras tenuissent, interrogaret Gregorium, quid nam de Polonorum antiquitase [!] legisset, ad quem Gregorius: neque ego quamvis diligens ea in re fuerim, quod pro certo asseverem comperisse memini...

p. 53. Orto oliquando [!] sermone in cæna de Charmidæ legibus, cum Vergerius sanctionem illam laudaret, stb.

p. 54. Interroganti aliquando Podochatero, quidnam in Regione Polona viliori esset in precio, potio inquit Gregorius ...

Dicenti Episcopo: Mirum videri potest, quodnam fatum

Cypri hominis vitam cum Sarmata coniunxisset, An iguoras, inquit Gregorius, Venerem, cum primum ex mari prodiit, in Cyprio consedisse littore, atque ibique sanctissime cultam, Martem vero in nostra regione natum atque coli. Qui Dei quam arctissimis amoris vinculis inter se coniunti sint, etiam vulgares scirent...

Interim cum Gregorii absentia pro morte in patria duceretur, Casimirus, qui fraternum regnum obtinebat, ecclesiam quam Gregorins [!] in Salinis possidebat, alterius sacerdotis curæ commisit. Quo nuntio adactus est Gregorius, redire in Polouiam [!] rebus suis consulturus, afficiebatur enim plurumum [!] illi ecclesiæ...

p. 55. ... Atque ideo cum Episcopus sæpe cum eo egisset, ut opulentioris ecclesiae curam susciperet, obmissa illa, nunquam persuadere potuerat. Sed tum præcipue, cum iam Gregorius itineri se accingeret, instituit offerendo eas commutationis conditiones, quæ facile alterius cuiusque animum potuissent inflectere. Cæterum cum sensisset auribus omnia se iactare, ut saltem redeundi ad se necessitatem illi iniungeretur, procuravit nonnulla publica negotia, quæ apud Regem Poloniæ tractanda tunc maxime erant Gregorio committi, videbatur enim sibi medietate sui orbum se futurum illo a se dimisso. Amici quoque, qui ægre a se divelli patiebantur, ambitiosissimis precibus petebant, ut cito reverteretur. Quod et Gregorius non minus quam ipsi desiderabat,[1] potuitque fortassis ab incepto desistere, nisi occulta fatorum vis invitum ad maiora rapuisset.

p. 82. Cæterum cum multa scriberet, nihil ex eis in manus aliorum emittebat, seu quod sibi ipsi scribendo non satisfecerat, seu quidquid scribebat inferiora dignitate sua videbatur. Historiæ tantummodo *de Evocatione Vladislai Regis ad Regnum Ungariae* ac eius expeditionibus contra Turcas, quas duobus libellis explicavit, amicis quibusdam copiam fecit. Nonnullorum etiam Epigrammaton præsertimque eorum, quæ contra Fanniam nostram per lusum iocumque scripsit, cum alias decus atque ornamentum civitatis suæ ipsam profiteretur...

---

[1]) Callimachus előadása szerint Gregorius Sanocensis hazájából többször, még akkor is, mikor már az érseki méltóságra eljutott, vissza akart térni Magyarországba.

Venerabili magistro Martino de Przemislia Johannes Dlugosch. [1])

Venerabilis vir et amice singularissime. Ex Italiæ oris revertendo, confecto negotio, pro quo illuc me defatigaveram, studiose et ex proposito Budam veni ... Sed dum personam vestram Budæ non reperi, dolui anxie sortem meam, audiens vos contra votum, contra pacta et promissa, quas ego neque vafra neque duplicia suspicari poteram, curiam domini gubernatoris petiisse et pro annuo obsequio promissum acceptasse salarium ... Nolo te Hungariæ soli auro splendens fertilitas, aut huius nostri sterilitas a veniendo retrahat marsubium amplum promissura, nam et si illic splendidius, formidabilius tamen, hic angustius, sed securius vivitur. Venire igitur ne tardes, quum locum ordinarium ad hunc diem meo studio et ingenio conservatum pro te detinebo nulli de eo cessurus, nisi forsan tuis litteris te gubernatoris castra sequi velle et nostra fastidire tuguria intellexero. Sollicitat dominus noster cardinalis reverendum patrem dominum Johannem episcopum Varadiensem, ut sibi librum Titi Livii mutuet, vel te vel magistro Gregorio redeunte transmittat. Cura, rogo, ut praefatus dominus Varadiensis annuat huic honesto desiderio et præcibus tanti patris, in re sibi difficili neque ardua condescendat. Certum quoque illum redde, quod in omnibus aliis, quæ ipse Dominus Varadiensis optare voluisset, dominus noster cardinalis geret sibi morem et liberalem se tam in libris quam in rebus pro honore aut necessitate sua accomodans præstabit... Iterum vale et me reverendissimo patri domino Varadiensi episcopo recommenda.

Martino de Przemislia Medicinae doctori. [2])

Anno uno iam prope transacto mittendo in urbem Venerabilem dominum Dlugosch Canonicum nostrum Cracoviensem commiseramus sibi inter alia, quatenus vos ex studio Bononensi revo-

[1]) «Monumenta Medii Aevi Historica Res Gestas Poloniae Illustrantia. Tomus II continet. Codicem Epistolarem saeculi decimi quinti 1384—1492» II p. 86 87. Az index szerint azon Martinus, kihez e levél intézve van: Rex Martinus, Med. doctor de Premislia. A levél valószínüleg 1449 október havában kelt.

[2]) Ugyanonnan II p. 92. A levelet, mely valószínüleg 1449 deczember havából való, Sbigneus Olesnicki krakkói érsek írta.

caret atque nostro nomine committeret, ut ad nos perceptis tamen perprius doctoratus insigniis veniretis, qui etsi omnia iussa nostra expleverit et vestrum reditum iam suis, iam vestris litteris promiserit, longo tamen tempore et longa expectatione delusi sumus, nec nos solum, sed et ipsa Cracoviensis universitas, quæ votis nostris obtemperans, ordinarium locum pro vobis in hunc diem reservat. Mirabamur itaque, et prædicto domino Johanne Dlugosch ad nos feliciter reverso magis mirari cepimus, quid vos impulerit ad Regnum Hungariæ facere descensum, et in illo continuum facere incolatum. Ne igitur ulteriori deteneamur spe et inaniter, vos iterum per hunc nuntium specialem revocamus... Cæterum scribimus Reverendo patri domino Johanni Episcopo Varadiensi rogantes suam paternitatem pro complacentia sinceri, quatenus nobis opera Titi Livii, quæ illum ab experto habere cognovimus, mutuet, et per vos vel magistrum Gregorium plebanum in Wyeliczka,[1]) postquam vos vel ipsum magistrum Gregorium venire ad Regnum Poloniae contigerit, transmittat. Certificetisque præfatum dominum Episcopum Varadiensem, quod librum prædictum, si illum nobis sua paternitas accomodare dignabitur, in brevi tempore et celeriter accopiatum cum gratiarum actione remittemus. Et si ipse vel alius pro eo aliquos res efflagitaverit, grato et hilari animo illas suæ paternitati curabimus destinare. Super qua re etiam ipsi domino Episcopo et dicto magistro Gregorio scribimus litteras speciales. Non detineatis nos aliquibus amplius excusationibus, sed reditum vestrum quantocelerius potestis maturate.

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Johanni dei gratia Episcopo Waradiensi Nicolaus Episcopus Modrusiensis Salutem [2])

Munus tuo nomine susceptum tardius forte, quam expectaras, absolvi gravissimis rei publicæ curis impeditus; tametsi ipsa rei gravitas de qua disserui, longiorem moram postulaverit, nec concito, sed tardiore gressu ambulandum, ubi omnes sapientes

[1]) Ez Gregorius Sanocensis, ki Callimachusnak föntebb p. 164 közlött állítása szerint in Salinis ecclesiam possidebat.

[2]) A 15-századbeli cod. Vindob. lat. 2431-ből. Az előszó másolatát Szilágyi Sándor úr szives közvetítésének és Károlyi Árpád úr előzékenységének köszönöm.

haud parum laborasse dinoscuntur; et præcipue qui in difficillimo saltu novam cupit semitam monstrare. Nosti etenim omnium sapientum sententia, qui de divinis scripserunt legibus, sancitum [1]) esse, humanum genus sui finis, cuius gratia procreatum est, nunquam rationem cognovisse; nec ullo naturæ ductu ad eius cognitionem potuisse devenire, nisi divino illud nobis oraculo fuisset revelatum. At nobis contra visum est præcipue ab illa fœlicissima et a me semper memoranda hyeme, quam apud te Varadini cum plurimis viris doctissimis in bibliotheca illa tua dignissima inter innumera clarissimorum virorum volumina sæpius residentes iocundissimam amoenissimamque transegimus. Videor enim mihi videre in ipsius naturæ legibus misericordem deum ea reliquisse vestigia, ex quibus non magno labore nostræ conditionis statum colligere valeamus. Quam nostram sententiam et defendere et stabilire cupientes necesse fuit adversariorum rationes, quibus impugnare hanc consueverunt, refellere, et eas quibus suam statuunt sententiam infringere. In quo quidem quoniam mihi adversum tot et doctissimos et sanctissimos viros contendendum fuit: et ne aut temeritatis, aut perfidiæ crimine accusarer, visum est hanc nostram disceptationem prius ad sedem apostolicam deferendam, ut ipsius gravissimo sanctissimoque iudicio vel ruat vel consistat: quod utique abhinc fere biennium et fecimus atque usque in hodiernum diem plurimorum præcipue summi pontificis auctoritate collaudata est: a nemine vero aperte oppugnata. Quam ob rem eam nunc ad te transmisi, ut siquid machinarum in hanc consurgat, te virorum doctissimo disertissimoque patrono utar. Tua siquidem interest monumentum tibi dicatum tueri ac conservare. [2])

Reverendissimo in Christo patri et domino Joanni Archiepiscopo Strigoniensi, legato etc. Joannes Germanus de Regiomonte se humiliter commendat. [3])

Magnam esse admodum et fuisse semper in edendis libris difficultatem, mihi videri solet, dum revolvo maiorum nostrorum

[1]) *sanctitum* a codex.

[2]) f. 2*a* a pápához intézett előszó következik.

[3]) «*Tabule Directionum* profectionumque famosissimi viri Magistri

exemplaria, ac præsertim eorum exordia conspicio, ubi plerique tenuitatem ingeniorum suorum insimulant non suffecturam videlicet cœpto operi. Alii vero arduitate tentati negocii pæne deterreri videntur, nonnulli erratis suis veniam datum iri volunt dubiam scribendi fortunam haud iniuria suspicantes. Mihi autem, Reverendissime domine, aliud præterea accedit, quod factu prorsus impossibile reor: assidue scilicet iussioni tuæ morem gerere ac demum iudicio tuo non minus acuto, quam recto, dignum aliquod reddere. Tuæ profecto monitioni, nephas est contravenire, qui enim licentius in me habeat imperium præter te mortalis nemo est. Ubi autem lucubrationes meas coram te tam rigido, quam perspicacissimo censore deprompsero, labescet illico animus. Quis enim eruditissimus licet aliquid novarum litterarum impune tibi afferet, quippe qui omni doctrina ac virtute mirum in modum præditus es, divinarum humanarumque rerum plenam tenes cognitionem, omnibus cuiuscunque litteraturæ cum te præbeas auditorem; omnes tamen excellentissima eruditione tua antecellis adeo, ut discipulos sese fateantur quicumque in habitu præceptorum ad te accesserint. Quantus es, quam profundus in sacris existas litteris, neminem ignorare arbitror. Quid referam de iure pontificio, cuius notitia quidem ornamento tibi est, usus autem dignitati tuæ pernecessarius, quippe qui supra omnes prælatos regni Hungariæ primatum tenes. Universa demum philosophia tibi familiaris est, disciplinæ autem quadruviales decus et gloriam pepererunt. Quodsi ad negocia humana transeundi detur licentia, quis non admirabitur immensam tuam prudentiam, ex qua totius regni Hungariæ gubernatio pendet. Ita tamen foris publica curas, ut domi quoque magnificentia tua ineffabilis demonstretur, in arce, inquam, Strigoniensi, ad cuius restitutionem assiduam etsi nullis parcas

Joannis Germani de Regio monte in Nativitatibus multum utiles: una cum tabella sinus recte. Nuperrime emendate et complete quam luculentissime impresse. Cum Gratia et Privilegio.» Megjelent «Venetiis ingenio ac impensa Petri Liechtensteyn Coloniensis. Anno natalis domini 1504. Idibus Februarii.» A kiadás ósdi helyesírását, pontozását és sajtóhibáit hallgatag kijavítottam. — Ferdinandus Fossi (Catalogus Codicum saeculo XV impressorum, qui in publica Magliabecchiana bibliotheca asservantur. Flor. 1793 II p. 210) felemlíti ezen munkának 1490-iki bécsi kiadását, melyben úgy mint az első nürnbergi 1475-ből való kiadásban szintén meg van a Vitézhez intézett ajánlólevél.

impensis, longe tamen ampliori sumptu solertiorique studio bibliothecas preciosissimas ac omni genere codicum refertissimas instituisti. Quantam præterea et quam perennem curam habeas condendi studii generalis conclamatum esse iam pridem arbitror, cum ex universis litteratorum consortiis omnium professionum doctissimos quosque viros accersere soleas, officio fretus regii cancellarii supremi, cui cœpto felicissimo me quoque Vuiennensis collegii alumnum quantumcunque adesse voluisti, docturum videlicet quadruviales facultates. Venienti igitur voluntatique tuæ morem gesturo mihi inprimis id mandati dedisti, ut tabulas quasdam directionum componerem, quæ et usu facile et iudicibus utiles essent. Recte enim animadvertisti difficultatem huiusce rei, quam profecto omnes astrologi tanquam horrendum scopulum declinant... Eas itaque primitias operum meorum suscipere digneris, quas ubi pro acumine ingenii tui probaveris, in publicum prodire iubeto. Vale, præsulum decus.

Praefatio Johannis Argiropili Bizantii de libris de caelo Aristotelis, quos causa reverendissimi patris Domini Johannis Panoni Archiepiscopi Strigoniensis traduxit, feliciter incipit. [1]

Johannes [2] Argiropilus Bizantius reverendissimo patri Johanni [3] Panono archiepiscopo Strigoniensi [4] S. perpetuamque [5] felicitatem.

Si res præclaræ viris insignibus probitate sunt offerendæ, cuinam potius hoc opus alii, pater optime, quam tibi est [6] offerendum; nam et ipsum tam dignitate auctoris, quam excellentia rerum de quibus extructum est in nobilitatis culmine collocatum est, contendendereque [7] cum primis, si qua sint gradum hunc consecuta, videtur. Est enim auctor quidem Aristoteles [8] ille divinus, res vero mundus ac universum ipsum omni cum suppellectili sua.

[1]) A kiadásnak (H) szövegét a Laurentiana plut. 84, cod. 1. jelü codexéből (F) javítottam. A praefatio czime *H* szerint: «Praefatio ioannis argiropili bizantii de libris de coelo aristotelis ad reverendissimum ioannem pannonem archiepiscopum Strigoniensem foeliciter incipit.» [2]) Joannes *H*, [3]) Joanni *H*, [4]) Strigonensi *F*, [5]) perpetuumque *H*, [6]) *est* hiányzik *H*-ban, [7]) contereque *H*, [8]) Aristotelis *H*, Aristotiles *F*.

Quo quid naturæ præstabilius excogitari fingique potest, et te, pater, præstabilissimum hominem esse perfectumve celeberrima fama nostras ad iam aures detulit. Nihil est enim eorum sane quæ perfectum hominem ac exactissimum efficere solent, quod ipsa tibi non accumulatissime tribuit. Omni livore prorsus invidiaque semota te temperatum exacte, te fortem, te iustum, te sapientem asserit esse; te liberalitate, te magnificentia, te magnitudine animi, te singulari humanitate, omni te omnino virtute morum, omnibus humanitatis ornamentis pollere dicit. Tecum etiam egisse præclare subiecisseque virtuti sese fortunam, uti decet,[1] enarrat; quo nihil tibi bonorum omnino desit, quo nihil impedimento accumulatissime tuæ sit probitati, quo nihil in te suppellectilis eius desideretur, quæ civitatibus fortunatis hominem illum felicem [2]) atque beatum reddere solet. Addit et egregia tua facinora pulcherrimasque actiones uniuscuiusque tuæ virtutis, atque ea copia eoque numero sane, ut nihil penitus tuæ vitæ temporis sumi possit, quod probitatis operationibus careat, nullumque virtutis munus atque officium metiatur. Affert insuper una omnium voce, quasi hoc ipso vera esse prædicare probare vellet, optimam gentis tuæ nationisve nobilissimæ gubernationem statumque perpulchrum, quæ quidem ultro sese tuæ prudentiæ tradidit, recte singularique tua virtute continue summaque sapientia gubernatur. Omitto recensere qua te observantia, qua cura, qua diligentia singularis sanctissimæ religionis nostræ virtutes colere atque amplecti decantat, sed quæ, dii immortales, ad nos, quantave de tua scientia defert, tibi ingenuam habilitatem naturæ, tibi vim mentis eximiam, tibi summam solertiam, tibi denique contemplandi cupiditatem, atque amorem incredibilem tribuit, te disserendi facultatem, te naturæ te [3]) altissimarum divinarumque rerum cognitionem, omne te omnino genus summo studio consecutum esse scientiæ refert.

Quæ cum ita sint, dubitabitne quisquam, quin tibi primæ partes in probitate sint tribuendæ, atque hoc opus tibi potius quam cuivis alii [4]) sit offerendum.

Atque equidem ut hæc clarissima fama nostras pervenit ad aures, tibi continuo libros hos offerre dedicareque institui, ut hac

[1]) dicet *H*, [2]) fœllicem *H*, [3]) *naturae te* hiányzik *H*-ban, [4]) ali *H*.

potissimum parte occasionem nactus et mihi ipsi et virtuti etiam satisfaciam, neque enim me quicquam magis, quam virtus ipsa delectat, et probitati nihil iocundius, nihil gratius, nihil accommodatius hoc genere muneris esse puto. Accipe igitur hosce libros, sapientissime pater, in Romanam e Græca linguam a nobis nuper tua, vir optime, [1]) causa tuoque nomine versos, et perlege felix. Non mediocrem ex hisce te puto voluptatem sumpturum; invenies enim in ipsis et diluciditatem summam: quas namque sententias olim perobscuras interpretandi modus ille rudis efficiebat, eas nunc omnis claras atque dilucidas ultro sese offerre [2]) videbis, et concinnitates ac elegantiæ [3]) satis, quoad ipse vertendi modus efflagitare, [4]) materiesque pati videtur; non enim, ut scis, in talibus pervagari licet, neque campus amplus ad dicendum conceditur; accedet et illud insuper, quod magis quam cætera præsertim in libris talibus exoptatur.

Vale, et tibi persuade neminem te mihi cariorem ob probitatis excellentiam esse. [5])

Galeotti Martii Narniensis ad R. D. Archiepiscopum Strigoniensem in librum de homine epistola incipit. [6])

Cum opus de homine his diebus proxime elapsis absolutum R. P. diligenter inquirerem, cuinam esset dono tradendum, nemo mihi laboribus nostris dignior visus est, quam tu, Johannes

[1]) viro optimo *F*, [2]) afferre *H*, [3]) aelegantiae *H*, [4]) afflagitare *H*, [5]) a praefatio végén *F*-ben: Aristotelis opus de celo quod Johannes Argiropilus bizantius causa reverendissimi Patris Johannis Archiepiscopi Strigoniensis traduxit: ∾.

[6]) «Galeoti Martii Narniensis de Homine libri duo. Georgii Merulae Alexandrini in Galeotum annotationes. Cum indicibus utrobique contentorum et copiosissimis et certissimis. Basileae, apud Ioannem Frobenium, Mense Maio Anno MDXVII.» Galeotti munkája a Laurentiana plut. 84, 27 jelü codexében is megvan; e codex eltéréseit F-vel jelöltem. — A czimben *incipit*-et F-ből adtam hozzá, ugyanaz codexxel irtam Johannes-t és litterarum-ot, Joannes és literarum helyett. — A czimben és az epistolában F *Strigonensem*-et ad, másutt Strigoniensem-et.

Archiepiscope Strigoniensis. Quis enim huius libri, qui duobus voluminibus concluditur, magis idoneus possessor habebitur, cum de homine inscribatur, quam is qui est omnium clarissimus, adeo ut iure ac merito homo per excellentiam nominandus sit, quod uni dumtaxat tibi ætate nostra convenit. Nam cum totum fere orbem animo perlustrarim, nemo profecto est, quem tecum conferre possimus. In te enim tot tantaque virtutis ornamenta conspicimus, ut non modo virum unum, sed totum fere genus humanum simul congesta decorarent. Nec impræsentiarum de dignitate corporis, qua cæteros mortales vel æquas vel antecellis, sed de animo, hoc est ipso homine, loquor. Tu enim iuris pontificii consultissimus, theologiæ peritus, philosophiæ princeps, totiusque matheseos pater, oratoriæ ac poeticæ alumnus, ea documenta doctrinæ et ingenii tui iam dudum dedisti, ut plures, ita nunc loquar, in te animas, hoc est, veros homines esse cernamus. Non enim tam propensa benivolentia in viros peritos esses, nisi iudicio animi tui honore dignos esse cognosceres; unde fit, ut doctissimis viris recte consultum iudicemus. Ipsi enim iudicium [1]) tuum, quod acutissimum esse intelligunt, reformidantes, nihil ad te afferunt, nisi summa industria excultum et acri diligentia elimatum. Nam ineptiarum, quibus nostra tempora redundarunt, causam in imperitos principes reiiciunt. Qui cum doctos pariter et indoctos uno ordine habuerint, effecerunt, ut pauci veræ doctrinæ essent amatores. Ex qua quidem re factum est, ut homines non tam virtutis, quam munerum fuerint sectatores. Sed tibi, venerande pater, studiosi ob munificentiam debent multum. Cum vero iudicii tui stimulo ad studium litterarum veramque doctrinam maioremque industriam impellantur, ut sese tibi perquam maxime obnoxios fateantur, necessarium est. Maiora enim iudicii tui acumen, quam munificentiæ vis ipsa contribuit. Illud enim doctos accuratosque reddit, hæc opulentos, sed hæc non æque preciosa esse manifestat Horatius: Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. Sed cum tibi, reverende pater, divitiarum copiam fortuna tribuerit, et litterarum principatum paraverit industria, rei publicæ administrationem optima de te opinio plurimarum rerum usus et temporum conditio attulerint, ita vixisti, ut divitias ad liberalitatem, doctrinam ad exem-

[1]) inditium *F.*

plum, rei publicæ gubernacula ad communem usum emolumentumque direxeris, adeo ut pauperes ditaveris, imperitos erudiveris, remque publicam fluctuantem ita firmaveris, ut mole sua iam stare, nec inimicorum iniuriam, nec hostium minas curare videatur.

His igitur causis moti librum hunc nostrum mittimus, expectantes iudicium tuum. Quod si in rem nostram candidum fuerit, sublimi feriam sydera vertice, reddarque [1]) ad alia quoque scribenda alacrior. De his hactenus; nunc ipsum hominem videamus, in quo nobis ordo erit, ut exteriora prius, deinde interiora narrentur, et a capite (ut par est) exordium sumitur.

Galeotto Marzio „De homine“ czimű művéből. fol. 87.

Sed hic morbus [a ‚calculus‘] magnos plerumque viros infestat, et maxime Johannem Archiepiscopum Strigoniensem, virum divino consilio, doctrina admirabili, integritate vitæ conspicuum, rebus gestis clarissimum. Qui tempestate nostra musas ex toto orbe fugatas ad se revocavit, Hungariamque novum musarum domicilium constituit, unde factum est, ut qui dispersi fuerant docti, ad ipsum tanquam ad litterum parentem turmatim confluxerint. Nam diu cum eo vixit, pra mioque affectus nomine Johannis nunc Archiepiscopi Strigoniensis librum dedit Aeneas Senensis, qui postea pontifex effectus Pius cognominatus est. Non referam, quantis impensis construxerit illam omnibus fere mortalibus celebrem bibliothecam, in quam omnium disciplinarum monumenta congessit. Et cum maximecal culo laboraret, librorum curam, disciplinarum delectationem, doctorum hominum favorem, rei publicæ gubernacula (nam in eo multorum regnorum onus recumbebat), nunquam dimisit, neque postposuit, quod me vidente factum est. Non possum igitur hunc morbum non insectari, quandoquidem unicum studiorum fautorem tam vehementer affecerit.

---

[1]) reddatque *F*.

Ad Joannem Archiepiscopum Strigoniensem Georgii Trapezuntii introductionem librorum Magni Basilii contra Eunomium praefatio. [1])

... Hos adversus Eunomium libros in latinam linguam e græca nobis conversos tuo nomini potissimum dedicavimus: Cum virtutis et fidei præstantia tum, imitatione rebus ipsis in Basilium tua, omnibus enim etiam tu viribus, consiliis, studiis religionem christianam contra infideles ac hæreticos summis tuæ cum vitæ periculis domi forisque tutaris, tuaque unius opera et consilio fractos et pæne eversos crucis hostes videmus. Unde et in cælis præmium a deo tibi repositum, et apud homines ad immortalitatem posteritatis tribuetur perpetua laus gloriaque tuorum meritorum. Quamobrem hoc tuo animo sollicitudineque pro re p. christiana non mihi solum, verum toti christianitati cognito et perspecto, quoniamque decet Archiepiscopi opus Archiepiscopo offere, tum primis nobis ex omnibus occurristi cuius bene meritis cæteros vides tuæ virtutis perpetuitatem liberaliter exoptare. Eam nominis tui felicitatem nos etiam pro viribus in communi extollere ac conservare cupientes statuimis hæc magni Basilii ex abditis theologiæ edita a nobis traducta tuæ dignationi offere et Archiepiscopum Capadociæ Cæsariensis laborantis ecclesiæ defensorem Strigoniensi Archiepiscopo eventibus christianis divoque Mathiæ Pannonio regi cura, studio, prudentia, orationibus, velut alter Aaron succurrenti coniungere, ut quorum officia, labores, pericula eadem pæne sunt, etiam laus sit eadem in hac vita atque gloria sempiterna. Nam in alia non ambigo, quin eadem beatitudo futura sit. Accipias igitur, oro, traductum in Eunomium opus magni illius Basilii et dignitate, et studiis, quod neminem præterit, tibi coniuncti. In quo etsi ipsius orationis gravitatem dignitatemque non præstitimus, rerum tamen integritatem et sententias non rustice fortasse latinis hominibus in tuam gloriam expressimus. Ad quam celebrandam non publicis modo tuis erga christianos meritis, sed etiam beneficiis privatis impulsi fatemur pervenisse: quos labores nostros iterum atque

[1]) Cod. Vindob. lat. nr. 4857 chart. saec. XV. olim Joannis Fabri. Az ajánlólevelet egész terjedelmében kiadta Denis Codd. MSS. Theol. P. I Vol. II p. 458—461.

iterum quæro atque obsecro, ut ea, qua soles, benignitate accipias, nosque in tuorum familiarium numerum ex humanitate tua digneris ascribere.

Prohemium in tabulas Waradienses ad reverendissimum Johannem episcopum Waradiensem. [1])

Consideranti mihi plerumque tuarum rerum studia, præsul dignissime, ea venire solet in animum dubitatio, plusne tu bonis artibus, an illæ tibi debeant, quippe cum illarum in te tuique in illas meritorum extet magnitudo singularis. Illæ quidem tibi fructum, famam decusque pepererunt, et ingenium plurimis et clarissimis rebus adornaverunt; tu vero contra illis splendorem, dignitatem, gloriamque comparasti, qui apud omnes arctoas nationes unicus ex maximis earum amator, cultor atque renovator habearis, sive si quid earum nostris in terris antehac fuit, ne in toto decidat atque pereat, tuo auxilio tuaque cura foveatur et conservetur, sive quod ad nos nondum venerat, tua diligentia et industria nobis illucescat. Hinc factum est, ut illæ te patrem creatoremque cognoscant, pretiosissima bibliotheca quasi suppellectili præclarissima Daciam Pannoniasque locupletaturum, quæ tanto reliquis vasis potiora sunt, quanto argentea vel aurea fictilibus cariora ducuntur. Codices enim ad sapientiam informandam instrumenta sunt loquentia, eos tua vigilantia sumptibus magnis e diversis regionibus ad te adductos esse palam est, in quibus tuæ pariter magnificentiæ et sublimitatis nomen in dies germinare ac florere posteritas aspiciet. Mathematicos [2]) quoque et quadriviales [3]), qui quoniam sapientiæ plurimum conducunt, colligere studium tibi fuit, et eos præcipue, quibus cælestium mutationum [4]) certam indubitatamque notitiam haberemus, sive demonstrationibus evidentissimis orbium stellarumque magnitudines et situs ostendant, sive numeris tabularum

[1]) Cod. Vindob. lat. nr. 5291. saec. XV. Peuerbachnak Tabulae Waradienses czimü müvét tartalmazza. A nehezen olvasható codexben tartalmazott dedicátiót Fraknói ur közbenjárása folytán Szádeczky Lajos ur volt oly szíves számomra lemásolni. [2]) *mathematicos* a codex. [3]) *quadriovales* (?) a codex. [4]) *mutacionem* a codex.

aut instrumentorum motus eorundem dinumerarent, quæ cognitu iocundissima sunt, habere statuisti. Quamquam autem auctores nostri [1]) numerorum reliquerent, quibus defectus aut obscurationes luminarium, quas eclipses vocant, antequam fierent prænoscerentur; in opere tamen earum tanta prolixitas est et difficultas, ut non modo innumerabili peritia rudes seu parum instructos, verum etiam provectos et peritissimos quosque tædio afficiant quam maximo.

Idcirco tabularum opus desiderabas, quibus clarum facilemque de eclipsibus possemus habere notitiam: tuæ igitur voluntati obœdiens id efficere conatus sum, non tam tenuitate ingenii mei fretus, quam mandatis. Collegi itaque, atque in unum volumen ordinavi tabulas de motibus luminarium et eclipsibus, quarum partem verum paucam admodum a pastibus [!] positam tenui, ut quæ de motibus mediis sunt, reliquas autem partim ex antiquis ampliatas pro laboris facilitate distendi, partim de novo conposui, ex quibus utriusque luminaris defectus pro futuris temporibus facillime reperiri queunt; earum autem radices ad meridianum Waradiensem traduci, indeque tabulas Waradienses vocari placuit. Has igitur lucubrationes meas ad te, præsul humanissime, clarum sæculi nostri lumen, in sinu mansvetudinis tuæ iudicandas congero, quas si tua prudentia probabis, cui libuerit, communes facias; si quid enim in eis egregii repertum fuerit, tuæ excellentiæ ascribi cupio, quo monitore quidquid id est, effectum est.

[1]) Itt talán kiesett a *tabulas* szó.

Tribrachi Mutinensis ad Reverendissimum Archiepiscopum Strigoniensem Carmen incipit. [1])

Quo tua non dubites totum volitare per orbem
  Nomina et a Latiis gentibus usque coli,
Accipe Strigoniæ pater et sanctissime præsul,
  Te simul et rebus munera digna tuis.
5 Accipe Pannoniæ iubar indelebile gentis,
  Quæ referant nomen tempus in omne tuum.
Tu dare, quod fulvis aurum Pactolus harenis,
  Quod Tagus Hesperio devehit orbe, potes,
Et tibi quæ patriis opulentia montibus exit,
10 Exuperat quantas Crœsus habebat opes,
Sardoos lapides, atque altera dona Pyropos,
  Quasque suis gemmas colligit Indus aquis.

[1]) Cod. Vindob. nr. 2489. membr. saec. XV., melynek leírását lásd a *Magyar Könyv-Szemlé*-ben IV. (1879) p. 4—6, hol a Vitéz Jánoshoz intézett dedicátió is — nem egészen hibátlanul — közölve van. Megvan a modenai könyvtár IX* 16 (8° chart. sacc. XV) czímű kéziratában is, melynek tartalma: fol. 1a: «Tribrachi Mutinensis ad Illustrissimum Principem Ducem Divum Borsion Carmen de Temporum velocitate incipit.» Fol. 6b: «Tribrachi Mutinensis Epigramma in divum Borsion» aztán négy levélen egy czím nélküli költemény. Fol. 11a: «G. Tribrachi Mutinensis Bucolicon Carmen ad Illustrissimum et Excellentissimum Ducem Divum Borsion Fauste Imp. Aepolus et Poeman Pastores». — Tiraboschiból (Biblioteca Modenese. In Modena 1794 V. p. 287 s k.), tudjuk, hogy a modenai születésű Tribraco de Trimbocchi Gaspare Modenában a humaniora tanára volt és 1461 óta nagy nyomorban Ferrarában Borgia herczeg udvaránál élt. Tiraboschi 43 kéziratbeli munkáját idézi, ezek közt 33-ik helyen a modenai egyetem könyvtárából: «Carmen ad Illustr. et Excell. Ducem Divum Borsium feliciter incipit», melyhez megjegyzi, hogy «Sotto questo titulo si comprendono sette Egloghe del Tribraco.» Munkái közől Tiraboschi p. 292 szerint csak egy epigramm jelent meg nyomtatásban Dati Elegantiáinak 1503-iki velenczei kiadása előtt. Ez megvan ezen mű 1514-iki Vadian-féle bécsi kiadásában is. Egyéb költeményeit lásd Janus Pannonius művei közt és e füzetben. — A bécsi codexet, melyet kiadásom alapjául vettem, *V*-vel, a modenait *M*-vel jelöltem.

Haud ego crediderim tibi maxima dona videri,
  Quæ melius per te cessit habenda deus.
Ista rear, cum sis populorum pastor et auctor,
  Ista rear tantum posse decere patrem.
Hic pecudes Pœman armentaque bucera servat,
  Tu populis Pœman, tu pater ille tuis.
Ista rear, paucis quæ dii rarissima donant
  Munera longe animo grata futura tuo.
Hæc tamen ut vultu amplecti dignere secundo,
  Hæc precor ut sacras tangere digna manus,
Dunque tibi his aliquid resonabit fistula silvis,
  Qucd invet,l s c Tribrachi sint monumenta pater.

Tribrachi Mutinensis ad Reverendissimum Archiepiscopum Strigoniensem.

Poeman, Aepolus, Pastores.

Aepolus. O nitidi pecoris dux, Pœman, vallibus unde,
Unde tibi his campis, quos depopulantur ab omni
Parte lupi, tantam licuit captare quietem?
Rura urbesque ardent, hic tu securus in umbra
Rura urbes florere facis; latus omne resultat
Planctibus, ipse levi prædoctus harundine silvas
Et montana trahis resonare cacumina tecum.
O nimium felix pecus, o pecorumque magister,
Cui datur in media mundi cessare ruina,
Et tutos pavisse greges et flumine pastos
Mergere et ad mulctram iam sero in vespere ductos
Quot prius e stabulis puer enumerarat euntes,
Claudere lacte graves ac tempore fœtibus ipso.
Diis potes, o Pœman, geminos offerre quotannis,
Diis potes et debes geminos cum matribus agnos
Qui te respiciunt. *Poeman.* Fateor, sors optima nostra est,
Aepole! Dant gregibus pingues hæc pascua fœtus,
Satque salax aries, nec desunt vellera nobis,
Quæ tondenda legant pueri; sat pacis habemus:

A költemény czimét *M*-ből fentebb idéztem; v. 1 *Aepolus* V-ben hiányzik; v. 12 prius a st. *M*; v. 16 *Poeman* hiányzik V-ben;

20 Non hic armorum strepitus, non classica Mavors
Dira ciet, procul omnis abest insania belli.
Hic male contiguos rapiat vicinus agellos,
Lex vetat et quod vis nulla improba diruit æquum.
Hic violare fidem scelus est, aliena tueri
25 Iura pium, hinc fures vigili cane pellimus omnis
Arcemusque lupos; hic tempestate serena
Utimur et tenues securi inflamus avenas.
Hic nemus umbriferum, nitidos hic numina fontes
Nec tantum de plebe colunt, ceu prona iuventus
30 In Venerem Satyri veluti placidissima turba
Capripedes Fauni, Dryades, Dryadumque sorores,
Naiades et facili ridentes ore Napææ.
Sed qui summa regit, nostros quoque sæpius agros
Et colit et terras non dedignatur amare
35 Iuppiter has etiam positis cælestibus alto
Ex animo curis. Nec non de gente deorum
Nescio qui — phama his lacubus Diana lavatur —
Hac agit et succincta feras caprasque volucres
Nunc rapido cursu, nunc damas illa fatigat,
40 Nunc venatur aprum, nunc fulvum aggressa leonem
Tela iacit diversa, et nusquam frigida serpens
Lædit aberrantis silvarum in devia plantas.
Omne boat cornu pulsum nemus omne recurvo
Latratuque canum, referunt audita cavernæ.
45 Diis possum et geminos igitur parentibus agnos
Debeo. *Aepolus.* Libertas utinam tanta otia nobis
Haud tamen invideo, minus, o, quandoque faveret,
O longe fortuna minus; sed vota nec audit,
Nec nostras ut surda preces: Rapit omnia miles,
50 Diruit, incendit; iam non seges ulla per agros,
Ulla nec herba viret, patriam vix fugimus ipsi
Incolumes ego, et ista boum surrepta mearum
Pars quota bos. Viden, ut gracilem vix porrigit alvum,
Ut pigra se mole gerit miserumque remugit
55 Lapsa caput, quin hæc dum forsitan inter eundum
Carpere vel frondes vel gramina, tetras in angues
Incidit, et sævis vix est erepta venenis;
Dunque veneniferos morsus vitare laborat,

v. 49 Hec *M*;

Vix fugit et tumidos alia de parte leones.
Præda lupis pecudes et cum custode fuerunt 60
Quæque bis implebant sinum mihi lacte capellæ.
Sed quod vita super, quodque inter cætera vivo,
Etsi vivo miser, forti debere misellum
Me fateor, si vita mihi pro munere habenda est.
Poeman. Immo velim superesse iuvet, tolerasse iuvabit 65
Forsitan hæc olim dum nos defendit ab æstu
Illicis umbra, huius dumque hic sine præside tutum
Est pecus et molles errant his vallibus agni,
Pone domum et pueros et quicquid sæva dolendum
Sors tulit et quæ te dudum accedente canebam 70
Destituique tuo casu perterritus audi.
Naias hos circum fontes et flumina, qua non
Ulla Dryas forma melior, nec Hamadryas ulla,
Quam nec Oreadibus, nec celsa frónte Napæis
Cedere credideris, tibi si vidisse licebit. 75
Naias has inter corylos versatur et illas
Inter adhuc salices, illic modo ludit et illic,
Urit amatorem miserum Pœmana, meosque
Secum habet usque oculos, seu luce in montibus errem,
Seu per plana ferar silvas, aut prata peragrem, 80
Aut somnos in nocte petam, requiemque laborum.
Naias hæc una est, levibus nec pectora flammis
Excoquit, at medias penetrat furor iste medullas.
Uror, ut arentes stipulæ, quibus addidit ignem
Pastor; ut admoto liquefiunt sulphure ceræ. 85
Nunc mihi notus amor, deus est gravis ille, potensque,
Ille hominum sensus populatur et intima corda.
Hanc ego sive meos non dura advertit amores,
Seu precibus votisque meis male suasa repugnat,
Ardeo: nympha meæ dolor et nova gaudia vitæ est. 90
Candidior cygni plumis, nive, nympha! ligustris,
Candidior nondum tactis in mane pruinis,
Si mea vis dici, si non obscurior ipsa
Nocte venis graviorque nucis quam fugimus umbra,
Gratior hyberno sub tempore sole tepenti, 95
Gratior et leni dum Iulius æstuat aura;
Si Pœmana tuum non negligis aspera verum,

v. 70 tullit *V*; v. 78 pemana *V*; v. 80 feror *MV*; v. 92 nundum *M*;

Si frontem avertis truculentior aspide surda,
Sævior o ponti scopulis, crudelior orba
100 Tigride, et o si quid silvis violentius horret,
Nymphe, dulcis amor, maturis dulcior uvis,
Dulcior Hyblæo si das bona verba liquore,
Mitia si reddis; si non, mihi amarior ipso
Usque apio, et succis quoscunque habet ora malignis
105 Sardonis; ille tuus, tuus hæc tibi carmina dictat
Calliroe, Pœman, cui das, cui lumina tollis,
Accipe quos uni tibi dat mea fistula cantus,
Accipe quas dando pecudes, quas mille capellas
Hic tibi pasco libens, interque armenta iuvencam
110 Candoris nivei iamque ubera plena ferentem
Postquam effoeta semel tibi lac fluat unde recensque
Caseus. Hac etiam vitula donaris: et ultro
Accipe me. Miserere mei sine more furentis.
Hæc memini; cessere animo, quæ plura pararam.
115 His num rere meo contenta favebit amori?
Aepolus. Et te digna refers et tanta virgine, Pœman.
Non renuenda dea nec re tua fama volabat
Grandior, ut video. Quis enim tibi montibus istis
Par calamis aut vóce alius? temeraria si non
120 Est tua Calliroe, non sane ardentius ullum
Dilexisse volet, nec fronte benignius ulli
Si sapiet; nec sydereis ridebit ocellis
Dulcius, et tali fœlix gaudebit amante,
Optabitque tibi longos et molliter annos
125 Fata dare et dominum incolumem pecorisque suique
Conservare diu baculo, dum cana senectus
Indigeat possitque albo meminisse priores
Et ter centenas collegerit area messes.
Te duce, te domino lætabitur illa marito.
130 Quam vero nostras vox oblectaverit aures,
Qua modo Calliroem tentabas flectere, non sic,
Non sic vicini præstant iocunda palumbes
Murmura, quique ruunt saxosis vallibus amnes;
Nec sic interdum gratus mihi sibilat Auster,

v. 101 Nymphae *V* és javítás előtt *M*; v. 106 Calliore *V*; v. 112 et usque *M*; v. 123 amanti *V*; felix *V*; v. 127 indiguit *V*; v. 130 nostra *MV*; v. 131 tentabat *V*;

Cum labor in somnos fessum trahit; haud mihi tantum 135
Tundentis lapidem guttæ vicinior ictus.
Et formosa quidem et formoso coniuge digna
Qualis ades: ne quære alium, ne quære superba
Calliroe; paribusque pares ardescite flammis.
Vera loquar, Pœman; nymphas ego mille secutus 140
Collibus in patriis Cianemque et Callianeram,
Pandroson et quales non quivis novit amicas,
Quarum longa dies mihi nomina sustulit; unquam
Nec forma, nec honore parem cognovimus illi,
Quam colis. En prope sunt et non errando capellæ 145
Discessere procul, puerisque inhibere necesse
Non fuit; hic frondes et mollia gramina carpunt;
Haud reor assuerunt dominum turbare canentem.
Poeman. Pergam igitur, nec te subeant fastidia nostri.
Si me Calliroe incolumi, lux ultima tollat, 150
Ipsaque cum superis maneat, delabar et ipse
Sub terras; quo me ire animo dic, Aepole, credes?
Tristis, Io mea Calliroe! bis terque vocarem.
Hos tua dona greges atque hæc armenta relinquo,
Usque tuo Pœmana tuum sub pectore serva. 155
Quin vereor ne sic morientem offenderit ingens
Huius amor, ne sic spes amplius ulla salutis
Corporis aut animi; quod si promiserit illa
Aeternum servare fidem, dum nostra sequetur
Hinc quoque discedens vestigia, lumina linquam 160
Ista superna libens, nec mors erit ulla dolori.
Aepolus. Finge tamen, Pœman, non sola hæc degere possit,
Ut multis repetita procis, ut candida forma
Invidiosa sua, nosti ceu plurimus erret
Vallibus his pastor, nubat patiare licebit 165
Cui tamen hanc mavis, cuinam succedere, Pœman,
Si nuptum decreta dari non invidus ipse.
Poeman. Quicquid erit faciles ventos et fata sequatur.
Interea quando saturas monet hora capellas
Claudere et expectant matres in ovilibus agni, 170
Lucidaque in summo fulgescunt sydera cælo,

v. 137 formosa coniuge *M*; v. 139 calliore *V*; v. 140 scutus *V*; v. 143 usquam *M*; v. 144 hec forma *M*; v. 149 subeunt *MV*; v. 155 tuo sub *V*; v. 156 nec sic *M*; v. 157 ne sit *M*; v. 159 Externum *V*; v. 161 illa d. *V*; v. 171 sumo *M*; coelo *M*;

Nec procul ire licet, nobiscum hac nocte iacebis
Consumens dulcesque favos et lactea multa.

Theradamas et Philonda.

Philonda. Quid nunc Theradamas, quid nunc agit ecce, Philonda?
Hunc salvere iubet, iubeo salvere gregesque
Fortunare tuos, quoniam nec pascua cerno
Defecisse illis et plusquam læta, nec undas.
5 Et tamen hos macie confectos miror et ipsum
Te, bone Theradama: vereor, ne lividus urat
Crescentes oculus, ne te male fascinet atrox
Invidia! hoc siquidem pallet vicinia morbo.
Theradamas. His teneras ulmi frondes, his fertile gramen
10 Sufficimus, multumque salis tutamur ab acri
Frigore, cum madido circumfremit ore December,
Si coquit et flavas insana canicula messes,
Sub patula sinimus pecus omne quiescere fago.
Præterea canto per campum errantibus illis
15 Quæ invisse queant, velut: Olim vastus in agro
Pastor erat Siculo silvisque errabat opacis;
Uno oculo dixit Polyphemum antiqua vetustas.
Si teneo, mihi quæ soliti narrare parentes,
Pastor erat, cuius calamos vocemque bidentes
20 Consuerant saltando sequi, ferus ille sequentum
Ubera pressabat palmis, et lacte recenti
Ore sitim postquam sedaverat, ibat ad undas
Aequoris et speculans lunarem luminis orbem,
Dum non pulsa forent ventis freta; nec sibi prorsus
25 Creditus informis Galatean adire solebat,
Mollibus hanc facilem cupiens sibi reddere nympham.
Quoque magis blande calidos referebat amores,
Hoc magis invisum virgo fugiebat amantem.
Ille sua quicquid valuisset harundine, quicquid
30 Disparibus calamis, cecinit fore munus amatæ,
Si non despiceret promissas acrior artes;
Illa velut scopuli rupes immota manebat,
Surda preces blandas et vota audire precantis.
Ille sequebatur: Si me temeraria noris,

v. 1 *Philonda* hiányzik *V*-ben; v. 3 F. q. n. p. c. tuos *V*; v. 10 tutamus *V*; v. 13 pitula *V*; v. 15 vivisse *M*; v. 16 filiusque *V*;

Propositum damnes, nec tam fera corda dolebis
Iam posuisse diu. Sunt nobis antra sub alto 35
Monte, quibus ne hyems, nec sol cum fervet iniquis
Sentitur radiis, at grata recessibus omni
Tempore; circumstant herbæ latus omne virentes:
Aspice ceu rubeant et curvent undique ramos!
Hic mihi poma suos varias et vitibus uvas 40
Colligere ipsa potes, nec quas Amaryllis amabat
Deficient, Galatea, nuces; procul aspice dumis
Castaneas pendere suis partimque ruentes
Sponte sua ad terram, partim, nisi forte pigebit,
Mollibus excerpi digitis, Galatea, morantes. 45
Parce tamen digitos teneras et lædere plantas!
Parce, precor! manibusque meis admittere malis
Collectum quodcunque libet. Pecus omne quod errat
Vallibus his, nostrum est, plures quoque nomine nostro
Silva tegit pecudes, plures clauduntur in ipsis 50
Haud longe stabulis, pluresque vagantur in hisce
Montibus; has omnes nisi despicis, has tibi servo;
Hæc quocumque novum tibi lac sub tempore reddent.
His agni septis, illis lasciviet ædus.
Quod si forte tuos variarum præda ferarum 55
Captabit, Galatea, animos, tibi posce volucres.
En dabimus capreas, agiles quæsisse iubeto,
Quæsitas referam damas; tibi nostra fugacem
Dextra dabit leporem, catulos advertimus ursæ.
Diximus, et nostræ catulos fera nutrit amicæ. 60
Hac qui spumat aper, fortes qui dente Molossos
Territat, hac statui, traiectum cuspide possis
Tangere præcipuum chari tibi munus amantis.
Ne fuge, quod rigida circumspicis hispida barba
Ora mihi, et lapsos obscura in fronte capillos: 65
Ista viros decuisse puta, tantoque decori
Barba viris, quanto est ovibus sua lana suaque
Arboribus frondes, et quanto gramina campis.
Hæc et plura dabat ventis Polyphemus, at illum
Flexa nihil precibus semper Galatea refugit! 70

Philonda. His ego crediderim lapidosos cedere montes

v. 38 circunstant *V*; 40 ut *M*; v. 44 ad dextram *V*; v. 52 nisi desp. *V*; v. 54 edus *V*; v. 61 aper duros qui saepe m. *M*;

Versibus, et rigidas flexisse cacumina quercus,
Saxa vel indomitum simul eiecisse rigorem.
Nil tamen his gregibus macie pereuntibus ista
75 Profecisse liquet, nec Theradamanta cadentem
Ulla ex parte levant. An vir gregis ipse capellas
Dum vicibus crebris superinsilit, incitat hue te
Sic quoque, Theradama, quo te tua crebrius Aegle
Stringat in amplexu, nec pressum mittat irudo,
80 Dum non plena cadat, tantum de sanguine demat,
Sic cum succiduo passum grege pallidus erres,
Ut pedibus dirum nudis offenderis anguem,
Et tremor et pallor paraverit ilicet artus.

Theradamas. Ah procul, ah procul hæc memini, cum iunior essem
85 Liberiorque animo, sic me lasciva iuvabant,
Ut caper assidens placidis e more capellis
Iniiceret facilem domino quandoque salivam.
Nunc autem quo me fugerunt otia, duri
Iam dudum mentem et corpus fregere labores.
90 Huius et infirmi pecoris me cura iacentem
Opprimit. Invideo gelida tellure sepultis;
Nam quid agam, lactis si copia nulls, nec usquam
Vellera, nec fœtus legimus tot matribus ullos?
Quid sperare licet? timeo, ne funditus omnis
95 Grex pereat, quando omnis ager, quando omnis in illo
Spes mea. Non ervum mihi dant spatiosa Braganti
Iugera; non segetes, alio quoque rure relectas
Plaustra vehunt pecus hoc quodcunque pecunia nostra est.

Philonda. Non, bone Theradama, non semper nubibus aër
100 Cingitur, haud crepitant metuenda tonitrua semper,
Sæpe suis vidi viduari frondibus ulmos,
Vidi etiam quassas ego mox revirescere frondes;
Usque licet speres in diis præsentibus usque;
Non hodie annuerint esto, non crastina surdi
105 Vota secundabunt, iterumque iterumque rogabis
Pulsabisque fores, donec prece victa dehiscet
Ianua, dum tandem tibi fors ridebit et ipsum
Teque tuumque pecus Rex fortunaverit ille

v. 76 verba ex (?) *V*; v. 83 ilico *V*; v. 84 *Theradamas* hiányzik *V*-ben v. 91 invidio *V* invideo-ból; sepultus *V*; v. 96 spaciosa *V*; v. 107 fors inolebit *V*;

Qui vitam, qui donat opes, qui gestat in ipsis
Fortunam prudens manibus vincique benignus 110
Assuevit. Deus ille aderit, deus ille favebit;
Tu modo, Theradama, sperando perge precari.

Damon et Lycidas, Pastores.

Non ego sum Damon, Lycida, non sum ille ferarum
Venator domitorque prius notissimus olim
His silvis. Cuinam, Lycida, cantare laborum,
Cui captare feras, cui, dic, armenta gregesque
Pascere, sic nudis silvas montesque terendo 5
Calcibus et scapulis non unquam a frigore tutis
Quando dabit, Lycida, meritorum digna meorum
Præmia cui famulor, Phileros meus; huic ego messes
Iam quater execui, maturas iam quater uvas
Effluere effeci, per me nova dolia musto 10
Iam quater ille novo lavit, quater inde replevit.
Multa quidem mihi pollicitus, sed multa nec idem
Nec mihi pauca refert. Steropes mihi dira novercæ
Spem levat improbitas, quæ surdius odit et ardet.
Ah Steropes odium vereor ceu fulmina summa 15
Iacta manu, vereor dum nos sopor opprimit in nos.
Illa tamen vigilet, sic consuevere novercæ.
Felices, quibus hanc sortem non fata dederunt,
Stertere qui possunt vera sub matre iacentes!
Iam scio, non essem infelix, si mater adesset, 20
Hic mihi cum Philero quæ commendaret euntem
Damona in scopulos, silvarum in devia pastor;
Nemo foret nostris Damone beatior oris.
Ille fidem pluris faceret, puto, pluris amorem,
Quo pecori afficior, quo cunctis rebus et ipsi, 25
Denique quem dominum, quem pectore gesto parentem.
Lycidas. Quo tantas, Damon, emittis in astra querelas?
Aut iniusta refers, aut vero et grandior æquo
Fama volat. Damona suum narratur amare
Prædives Phileros pariterque agnosse labores 30
Tam varios, et sæpe oculis vultuque secundo

A 109-ik sorhoz a lap szélén: Audi, dive Bo(rsi) III. A *Pastores* szó *M*-ben hiányzik. *V*-ben eredetileg a 17-ik vers a 16-ik előtt állott; v. 16 dum nos dum nos sopor *V*; v. 27 querellas *M*; v. 30 agnosce *M* és javítás előtt *V*;

Arrisisse illi; fontes hoc nempe loquuntur,
Hoc nemora et montes. Nunc te diversa querentem
Miror, ut audivi. Quis enim, nisi cæcus et amens
35 Non amet hunc dominus, qui tam bene plurima pascat
Armenta, et pecudes tot agat distenta gerentis
Ubera, qui totiens durare coagula faxit.
Damon. Ne me ficta loqui, ne me mentita reare,
Aspice, quod pudeat: nullo caput ipse galero
40 Quem dederit, velare queo, seu spiret acerbum
Bruma rigens ventis glacieque hirsuta nivali,
Seu canis arentes combusserit æstifer agros,
Quo liceat gelida fervorem pellere in umbra,
Quovel ab umbifreris protectus corpore nimbis
45 Non feriar; pariterque aliqua dum grandinat hora,
Sub dio patimur pluvias, toleramus et æstus.
Nec me iam dudum, cum Cirida viderit ille
Unam alias inter, unam exardere puellas,
Unam optare sinu complecti ardente puellam,
50 Nec miseratus adhuc; nec enim fortuna dedisset
Hoc melius, poteratque deus mea tollere vota
Ad summum; venisset enim caput aurea Ciris;
O, modo iussisset Phileros, Damona beatum
Fecisset, facietque uno si Cirida verbo
55 Quando potest, vitæ sotiam donarit amanti!
Tunc ego, proh, quales chara cum Ciride cantus
Ad Philerum hac tenui lætus meditabor avena!
Tunc neque me rauci superabunt carmine holores,
Quæque gemit crudi facinus philomena tyranni.
60 Et memini, cepisse animum cantando videbar
Illiusque aures, dum nuper ad arboris umbram
Frondiferæ mecum numeris committere paucis
Paucula tentarem, dominumque gregesque moratus
Errantis, nec tunc morsus timuere luporum,
65 Nec Libycas velut ante iubas. Hæc nostra fuere
Carmina, quam pecoris dives, quam lacte recenti
Semper abundaret Phileros, quam vellere fœlix,
Quam sale, quam pomis, quam versicoloribus armis
Omnia corrigeret simul augeretque tuendo

v. 41 hyrsuta *V*; v. 44 corpora *M*; v. 52 summum *M*; v. 56 cara *M*; v. 6 coepisse *M*; v. 65 Haec lib. *V*; v. 67 fęlix *V*; vellere multo *M*;

Maior avis atavisque suis. Omnique suorum *70*
Candidior numero, formorior omnibus idem,
Quos hæc silva tegit, pastoribus omnibus idem
Et melior calamis resonantibus, omnibus idem
Iustior in famulos, clementior omnibus idem.
Hæc quota pars mihi longa dies et cætera mæror *75*
Abstulit. Arrectas præstabat talibus aures
Et multum Phileros, Phileros meus his quoque risit.
Nunc quasi somniferum Sterope immiscente papaver
Hauserit, haud meminit Damonis tanta canentis,
Nec pecoris memor ille sui. Tamen illius, inquam, *80*
Non ideo mihi cura minor; deus omnia cernit.
Huic, Lycida — tibi credet enim quam plurima, nosti; —
Commendare tuum, Lycida, Damona memento.

Lycidas. Hæ mihi sunt testes quercus, hæ, bucole, pinus,
Quo te sæpe modo noctesque diesque probaram *85*
Custodem ut fidum pecoris dominumque, nec ulli,
Quos hic audierim, pastorum voce secundum.
Quin tanto superas omnes, quanto altior umbra
Populus est salicis, quanto procerior alnus
Ulmo humili, quanto est abies quoque longior istis *90*
Omnibus. Hæ mihi sunt testes, hæ, bucole, pinus,
Quam Steropem sæpe arguerim. Tu vince ferendo,
Vince fide et precibus; dabitur caput aurea Ciris.
Longa sit et quamvis, in diis certissima spes est,
Qui procul æquali suspendunt omnia lance. *95*
Sed gravis en Boreas madidantes imbribus atris
Iam venit huc quatiens pennas. Cedamus; habebo
Hæc, cum tempus erit, mecum alto in pectore, Damon,
Et memini et meminisse iuvat tua facta, nec unquam
Segnis erit pro te Lycidas, dum montibus istis *100*
Errabit, Phileroque aliquid pollebit amico.

Sybarta, Aegon et Daphnis, Pastores.

Sybarta. Quam vos ire viam, quod iter properatis anhelli?
Quoque greges, Aegon, vestri quoque, Daphni, sequuntur?

v. 84 *quercus* után *hae* hiányzik *V*-ben; v. 91 *mihi sunt* helyett *quercus M*; v. 100 lycidas pro te *V*; V Sibarta *M*; Theokritosnál Σιβύρτης. *Pastores* M-ben hiányzik; v. 1 Sybarta *V*-ben hiányzik, Sivarta *M. anhelli* mindkét codex;

Victus an invicto cecidit sub amore Menalcas,
Ut memorant? ardebat enim Nymphemque peribat
5 Fonticulam hanc nimium. Num vos hæc causa ruentes
Sic trahit, ut liceat solari in morte Menalcam,
Sic quoque et upilio properat, sic tarda subulci
Turba ruunt, omnes video descendere quercus
Montibus, atque omnis tanta ad miracula fagos.
10 Dic, precor, isne, Aegon, moritur? nullisque furorem
Auxiliis potuit restinguere; nulla ferocem
Carmina vicerunt quantumvis mollia nympham?
Aut alia ante diem pereuntis causa Menalcæ?
Aeg. Arserat, ut fertur, iam dudum virgine pastor;
15 Vadimus, ut melius verum scitemur, et illi
Quam liceat præstemus opem, nimis arserat aiunt.
Namque vel obscuro grave Iuppiter imbre tonaret,
Vel nimium æstivis sol ureret ignibus orbem,
Ibat ad hanc, et ad hanc numeros humilesque precatus
20 Non dare cessabat, miserosque professus amores
Orabat, facilis misero sibi Naias esset.
Illa nihil; neque dignum oculis, quicunque veniret,
Credidit esse suis, ac semper iniqua serenam
Avertit faciem, neque enim minus, agna rapacem
25 Quam solita est fugisse lupum, consueverat illa
Effugere aversa plaudentem fronte Menalcam;
Nec minus, accipitrem penna trepidante columba
Quam fugiat, morsusque canum lepus horreat acres.
Ille diu tulit hæc, sperans fore tempus, ut olim
30 Verteret in melius mentem, fieretque precando
Mitior, et votis magis ac magis arsit in illis.
O, quotiens sibi commissos errando reliquit
Immemor ille greges; quotiens armenta vagari
Per nemora et solos incustodita per agros,
35 Nec cupidis obiecta lupis dirisque leonum
Morsibus hæc timuit lacerari posse Menalcas!
Iam non ille suis qui notus et ante Menalcas
O, quotiens aliqua voluit de rupe cadentem
Mittere se! quotiens scopuli pendentis ab arce
40 Aequoris in longum caput obiectare profundum!
Sed comites vetuere mori cæcisque ruentem

v. 15 d. in virg. *M*;

Casibus in præceps, tenuere in luce Menalcam.
Quin illum multis hic quæsivere diebus
Amissum pecudesque suæ pecorumque magistri;
Quæsitusque diu nostris in montibus usquam 45
Non fuit et multi Stygias raptum isse sub umbras
Naiados igne rati. Ceu Naiados igne perisset,
Liquerat infelix natalia rura Menalcas,
Et casulam et notos tristis quoque liquerat aedos,
Atque alios montes, alias sibi quærere silvas 50
Maluerat, sterili postquam sua semina terræ
Mandabat, tenui postquam iterabat aratro
Assidue littus, nec spes erat ulla laborum,
Exul inopsque diu externis procul abfuit arvis,
Nec tamen interea fuit hic sine parte furoris. 55

Daph. Sic etenim fama est, et sic quoque credimus ipsi.
Iam tandem et patrios pastor repetiverat amnes,
Pastor adhuc veteres retinens in pectore flammas,
Vidit ut ille suis vincentem sydera ocellis
Naiada; rursus in hoc ferus ille incanduit ardor, 60
Qui prius insanum male coxerat. Ecce furendo
Illam ambire suo nunc cantu cœperat et nunc
Muneribus variis, sed et hæc spernebat et illud
Nympha suo Nais velut ante superba decore.

Sybarta. Mirabar, velut ille macer tenuaverat artus, 65
Iamque fere totus totus miserabile cornu.
Haud sua figebat medio vestigia campo
Certa satis, pedibusque labans hac ibat et illac
Lubricus, ut sparso pluviis qui limite currit.
Sæpe mihi occurrit mediis num sentibus hydrum 70
Calcasset miser ille, miser num forsitan umbras,
Dum nemorum secreta petit, vidisset iniquas.
Hocne erat, hoc tanti palloris causa Menalcæ?
Ah crudelis amor! tibi sunt præcordia dura
De silicum vena, tibi lac fudere leænæ; 75
Sæva tibi Hyrcanæ presserunt ubera tigres!
Pergite pastores! vestrum pia cura reposcit

v. 44 s. pecudumque m. *M* v. ö. VI. v. 54, 55; v. 50 edes *MV*; v. 52 manabat *V*; p. versabat *M*; v. 54 exol *V*; abfuit oris *M*; v. 62 et non *M*; *V*-ben a sorok eredetileg így következtek egymásra 62, 64, 63; v. 65 Sibarta *M*, hiányzik *V*-ben; illo *V*;

Officium, tu magne Aegon, tu maxime Daphni!
En ego vos comites etiam, comes en ego sector.
80 Dii faciant aliqua medicabilis arte Menalcas
Possit inoptatam sese revocare salutem,
Ah, miseræ pecudes! quibus hæc insania regem
Abstulit, ah, dabitis pro tanto indigna furore
Supplicia! ah, rabidos in viscera vestra ruentis
85 Evitate lupos et vos adducite prædam
Furibus a tergo invadentibus! ipse Menalcas
Nil curat, nil nempe videt iam cæcus et amens!
Sed procul en, qui vix trahitur, video ipse Menalcam,
Iam capite et fluidis lapsum pendere lacertis.
90 Ultro occurramus, dum quicquam spirat et haurit
Cæli aliquid. Salve, o nostris infamia pastor
Vallibus! o pecoris damnum, dum Naiados igni
Ureris et sequeris volentem in devia nympham.
Ad te quæso redi, plures hæc flumina celant
95 Et produnt forma nihil inferiore puellas.
Sume animos tandem: si vis tamen accipe flammas,
Quæ levius tangant; et te præstabis amori
Et pecori ad tempus verum miserande Menalca!
Hoc videas: insanus amor deformia multa
100 Et formosa facit, quæ sunt quoque nigra videri
Candida. Iam gregibus, iam nunc tibi consule, pastor!

Philonicus et Alcon Pastores.

Canduerat media iam sol sub luce, pecusque
Omne sub algentis et cum pastoribus umbras
Egerat, hinc querulo resonantes ore cicadæ,
Hinc quoque melliferæ suadebant grata volucres
5 Otia; non tamen hæc minuebat amantibus ignem
Frigoris umbra novi, sed enim Philonicus et Alcon
Pastores gemini alternis alterna movebant
Versibus inter se certamina, versibus ambo
Pæne pares et pæne nihil distantibus annis,
10 Rivales ambo niveæque Syringos amantes.
Horridus hæc Alcon prior; hunc Philonicus, et inde
Subsequitur graviorque ambos audivit Alethes

v. 90 accuramus *M*; v. 91 coeli *M*; V. A czímben *Pastores* helyett *Alethes Arbiter* M-ben; v. 4 Hin *V*; v. 10 amore *M*;

Arbiter. *Alcon* Incœptis, cuius plena æquora, plenæ
Quæque viæ, præsens nostris his Juppiter adsit.
Huic hominum curæ, nec non quæ condidit Alcon — 15
Carmina, quæ canimus, iocundo lumine spectet.

Philonda. Et me respiciat cantantem magnus Apollo!
Ille meos cantus et me quoque diligit ipsum.
Mecum huius florent sacræ pia munera lauri,
Quique puer, flos nunc, olim dilectus ab illo. — 20

Alcon. Me mea Ciris amat, quotiensque hac transeo, nunquam
Aufugit, at semper quonam valet usque sereno
Prosequitur vultu, nec non qua fronte moveret
Non hominum dicam, sed enim genus omne ferarum.

Philonda. Nympharum Galatea decus mihi ridet amanti; — 25
Verba refert eadem pro verbis mitia, proque
Muneribus donat mihi candida munera, proque
Pollicitis meliora suo promittit amico,

Alcon. Ciris amor meus est nympha formosior omni,
Ciris amor meus est tenera lascivior agna. — 30
Hanc donare paro nive candidiore columba,
Huic niveæ pariter pullos quoque servo columbæ.

Philonda. Intactas superat mea lux Galatea pruinas,
Lacque novum semper nimio candore nivesque.
Huic ego capreolos cepi venandó gemellos; — 35
Ingentem, aspiret faciam, mirabitur aprum.

Alcon. Me modo puniceis Ciris petit ardua pomis;
Nunc uror corylis ab eadem Ciride missis.
Hanc nostri novere canes plauduntque benigni,
Hæc canibus plaudit nostris gregibusque benigna. — 40

Philonda. Invadit nucibus mea me Galatea meumque
Sæpe caput spargit violis et olentibus herbis.
Hæc pueris certe iam iam est notissima nostris,
Huic pueri blande rident; his ridet et illa.

Alcon. Dulce quid æstivis ardenti solibus umbra est; — 45
Dulce recens fessis et adhuc sitientibus unda est;
Grata laboranti longarum errore viarum
Parta quies, lenisque sinum pandentibus aura.

Philonda. Triste vel armentis calcatus frigidus anguis,

v. 15 cuius *M*, cui *V*, de a 2-ik kéztől hézagban. *M*-ben *Alcon* csak *plenae* után áll; v. 18 meos versus *M*; v. 35 cępi *V*; coepi *M*; v. 45 és v. 46 *est* hiányzik *M*-ben;

50 Vel pecorum dominis surgens ubi colla retorsit;
Triste quid in messes nimius cum decidit imber,
Triste quid et teneræ segeti quoque frigus acerbum.
Alcon. Hic varii redolent per prata virentia flores;
Hic et fraga legunt pueri, spirantis et illic
55 Fila croci, hic casias tellus producit et illic
Lucteolas calthas, hic molliter omnia vernant.
Philonda. Hic et mora rubent, ceu rubro tincta cruore,
Hic et purpureæ pendent in vitibus uvæ
Castaneæ molles, hic punica mala leguntur.
60 Pruna quoque et quævis hic quottona ficus habetur.
Alcon. Hinc pastas arcete, boves — lupus asper et ingens
Hic ululat — pueri. Si senserit ille boantum
Mugitus, quibus o prensos laniaverit artus
Dentibus, ipsa etiam velut improbus ossa vorabit!
65 *Philonda.* Claudite quaque pecus, magnis neu, quæso, molossis
Fidite pastores! vastos rugire leones
Qualibet adverto, proh! quanto sanguine prædæ
Implebunt campos! pecuaria cogite cauti.
Alcon. Carmina qui rauci triviis disperdita Codri
70 Lecta probat, fluxa et nullo pede stantia scribit,
Hic avias idem fatuas quas iactitat anser,
Audiat ad lætos properans ridendo hymenæos.
Philonda. Tibia quem magni remoratur docta Nealcæ,
Sistere quæ fluvios et retro flectere posset,
75 Hunc etiam oblectet placidi iocunda Philondæ
Fistula, quæ montes, quæ saxa rigentia mulcet.
Alcon. Nil iuvat hoc Ciris quod me mea deperit, illam
Si non ipse sequor, dum florea prata peragrat;
Dumque feras agitat silvis, dumque avia lustra
80 Circuit, et celeri saltus cane territat omnis.
Philonda. Me secum Galatea vocat seu retia turdis
Tendere decrevit, iaculo seu figere cervum,
Seu leporem et damas rapido prævertere cursu,
Me secum Galatea vocat: nec ego ire recuso.
85 *Alcon.* Dic, — si vera refers, mollem tibi cedo syringa —
Dic, age, quænam iterum peperit sua filia matrem?

v. 58 pendet *V*; v. 60 haberet *M*; v. 61 Hic p. arcere *V*; v. 63 prehensos *M*; v. 75 Nunc *V*; v. 78 *V*-ben *rura* más kéztöl rasurában; v. 80 personat *M*; v. 81 rhetia *M*;

Dic quoque, quid coctum valeas consumere, quod non
Viderit ullus idem quoquam sub tempore crudum?
Philonda. Dic mihi tu: titulumque velim tibi quemlibet addas,
Mox ubi rettuleris si forte probabile reddes 90
Esse, quod hoc animal credas quod repere primum
Incipit ut quadrupes, pedibus mox ambulat æquis?
Aleth. Parcite vos inter tantas producere lites!
Parcite vos pueri! iam iam mihi carmina vestra
Nota satis, totisque etiam sub vallibus istis 95
Sat stupefacta suos tenuerunt flumina cursus.
Huius et illius captas mihi subrigit aures
Dulcius Hyblæo generosum melle poema;
Huius et illius me iudice tibia munus
Victoris meruit, me iudice uterque syringa 100
Dignus habere fuit. Dumque hic certamen agetur
Cantando alternis aliquod pastoribus inter
Pastores, erimus nunquam certaminis huius
Immemores; semper Philonicum Alcona loquentur
Hæc nemora! hi montes, hæc illos arva sonabunt. 105

Thyrsis et Bylephorus. Pastores.

Bylephorus. Cur insueta diem cæcis caligo tenebris
Iam dudum abdiderit? cum summos nubila montes
His clausere locis, ubi nec pastoria notas
Turba vias fertur, meminisse, nec antra reverti
Ad sibi nota feræ; nec cognovisse feruntur 5
Gramina, nec frondes multis ieiuna diebus
Armenta, atque olim viridis nunc palluit arbos;
Thyrsi, refer! causas pauci novere latentes,
Tu vero audisti, scio, plurima, plurima nosti.
Thyrsis. Formosum moriens Eumorphea dia Galanthis 10
Liquerat exanimem, cœlum superosque vocantem
Crudeles omnis, nec non et dira frementem
Syderibus summis convitia: Turbidus ille
Huc illuc, ut agebat amor, sine mente ruebat,
Et modo replebat montes mugitibus altos, 15
Et modo reddebant huic silvæ audita profundæ
Lamenta; interdum rapidos clamabat ad amnes:

VI. A czímben *et*-et kihagyja *M*; v. 1 Byleporhus *M*; calligo *M*; v. 10 *Thy*, hiányzik *V*-ben; v. 11 caelum *V*;

Tollite vorticibus miserum me tollite vestris!
Vita mihi mors est, et quicquam cernere posse
20 Amplius his oculis, postquam impia fata mearum
Curarum requiem rapuere Galanthida terris,
Et cœlo voluere frui quæ me altera quondam
Iocundum facient solatia. Nulla superbit
Par facie his virgo silvis, neque montibus ulla
25 Omnibus in Latiis. Heu me meminisse dolori est,
Qualibus aspiciens hæc me illustrabat ocellis!
Ut fulvum auratis superabat crinibus aurum,
Pæstanisque rosis velut æmula labra gerebat,
Illius ut roseos flammabat purpura vultus
30 Molle ebur, utque etiam vincebat lactea cervix!
O teretes digitos, nivibusque simillima canis
Brachia! vix nitidis pedibus formosa Galanthis
Incedens calcare solum, quaque ibat et illac
Lilia surgebant et regia nomina flores,
35 Vernabatque omnis circum vestigia tellus;
Bylephorus. Andieram, sic rumor erat: tantum omnibus unam,
Hanc unam Hesperiis præstare Galanthida nymphis,
Quas Padus irrorat, salices quantum ardua pinus,
Quantum abies corylos procero vertice supra
40 Eminet. *Thy.* En viridi rapta ocyus illa iuventa,
Vixque dies iacuis bis quinos ægra Galanthis!
Sic hominum res fata rotant; sibi nemo caducam
Rebus in humanis frustra spem figere tentet!
Haud hodierna dies certa est, ne vivere speres
45 Cras aliud; tacito cursu mors dira vagatur
Qualibet, et tenues pulsat velut illa tabernas,
Sic turres et tecta quatit sublimia regum;
Aspera nec precibus, rutilo nec frangitur auro.
Tristis in illius miserando funere flevit
50 Hæc patria: hic Dryades teneros planxere lacertos,
Naiades hic nitidos disturbavere capillos.
Tantus Hamadryadas, tantus dolor attigit omnis.
Omnes hæc facilis tetigit iactura Napæas,
Et posuere suos picta de fronte colores.
55 Flevit Oreadibus pariter comitata ministris,

v. 21 galantida *M*; v. 22 caelo *V*; v. 33 illa *V*; v. 36 tamen *V*; v. 40 *Thy.* helyett *M*-ben *Thyrsis* a lap szélén;

Fletibus hanc etiam silvis Dictyna iugosis;
In lachrymas sese montes fudere nivosi,
Nubiferumque caput magis abdidit Appœninus,
Quique solet vitreis lata in freta labier undis
Eridenus, fluxit lachrymoso turbidus amni. 60
Te leo, te scævæ raptam ingemuere leænæ,
Fataque sunt rigidæ quercus tua tristia questæ,
O decus, o nunquam fama peritura Galanthi!
Tunc solis nitidos obscura in nubila vultus
Vidimus abscondi, casu, seu tristis in illo 65
Non oculis miseram spectare Galanthida posset,
Ipse quoque indoluit, nigrantique aëra nimbo
Iuppiter obduxit, doluitque immota sororum
Fata trium, sibi nec vinci licuisse, nec ullo
Id facinus vitasse modo. *By.* Nihil amplius ipse 70
Luce sua caruisse diem, nihil amplius altos
Nubibus obductos colles ego miror, amice,
Sed mihi succurrit præsentem Eumorphea quonam
Terra tenet pacto, qui non insanus et amens
Illius interitu voluit quoque cedere vita. 75
Ut quemvis alium raptam sequeretur in orbem.
Thyrsis. Et fecisset enim, nisi nos quid tale paranti
Verba dedissemus tristes minuentia curas.
Hic tamen utcunque amissa superextat amica,
Dimidiæ ceu parte animæ suspirat in illam, 80
Et memor extinctæ nondum de pectore flammæ
Nusquam alias rectis nymphas velut horreat omnis
Luminibus spectare potest, quacunque peragrat
Sola vel absentes animos iam diva Galanthis
Occupat Eumorpheï ante oculos. Hæc una pererrat, 85
Hanc vocat, arboreisque incidit nomina truncis
Sæpe vocata, tamen non respondentia quicquam.
Nuper et, ut memini, tumulo legisse iacentis
Flebile anhellanti deductum pectore carmen
Addidit antiqui monumentum et pignus amoris: 90
Dum superas repetens arces Eumorphea linquis
Hunc utinam posses comitem rapuisse Galanthi!

v. 62 r. rupes t. *M*; v. 63 forma *V*; v. 67 intonuit *M*, talán helyesebben; v. 70 *By.* helyett *Byle* a lap szélén *M*-ben; v. 75 sequentur *V*; v. 82 ratis *V*; omnes *M*; v. 83 spectante *V*; v. 89 anhelanti *M*;

Siquid nostra tamen per postera sæcla valebunt
Carmina, ab æterna tu posteritate legeris!
95 *Bylephorus.* Sic te respiciant et amicum Eumorphea Musis
Thyrsi, dei, ceu grata mihi et iocunda fuerunt,
Omnia, quæ arguta iam dudum voce tulisti.
Iam cogamus uterque greges, sat gramine pasto.

Elementa Daphnidos Pastores.

Nymphæ, quæ Sicula docuistis harundine vatem
Stridere, et umbrosas inter proludere silvas,
Nunc ope sit vestra mihi fas maiora sonare!
Nunc liceat salices, liceat posuisse myricas!
5 Dicite, quando quibus meritis sibi Daphnis honores
Promeruit tantos, silvarum gloria Daphnis,
Vallibus his ut eat summi Pœmanos amicus.
Candidus in teneris et adhuc crescentibus annis
Candidior crevit præstanti corpore Daphnis.
10 Hic ubi ferre manu iaculum, gestare sagittas
Et lentos arcus potuit, sua tempora Pœbo
Prima dedit miles, Phœbæ gratissimus idem.
Mox agitare feras, omnis percurrere montes,
Omne nemus studiis vexare virilibus, omnes
15 Et saltu superare suo, torrentior ipse
Fluminibus rapidis, qualis Peleius heros
Peliacis olim iuvenem se exercuit antris
Aspera semiferi peragens monumenta magistri,
Hunc Dryades unum ardebant, hunc Naiades omnes,
20 Florea florilegæ texebant serta Napææ.
O quotiens illum, ceu forte sub arbore fessus
Venatu assiduo posita cervice iacebat,
Narcisso et suavi circum inspersere hyacintho,
Atque aliis totum pinxerunt floribus et mox
25 Serpillum auratis posuerunt molle capillis,
Ne terram indigne premerent, neu pulvis obiret
Purpureos vultus et concertantia summis
Lumina syderibus, neu frontem obduceret almam.
O quotiens captum somno rapuere profundo,

v. 95 *Ey.* hiányzik *M*-ben; v. 98 gr. pleni *M*; VII. A czím *M*-ben; Daphnidos Indolis Elementa Poeta. v. 1 arundine *V*; v. 18 s. capiens praecepta *M*; v. 25 serpilum *V*; v. 27 cunc. *M*; sunis *V*;

Atque crocos inter tam mollia furta rosasque 30
Occuluere deæ, sæpe oscula quæque sororum,
Sed moderata tamen, dedit, impressitque ferendo
Lævibus illa genis; mox candidus inde reversus
Ad sese Daphnis miratur munera verni
Temporis et tantos qui fluxerit inter odores. 35
Harum una Eutyche iuvenem quocunque secuta est
Illius et lateri semper comes hæsit amica,
Duxque fuit quacunque viam venando pararet,
Ne ferus incauto dira in discrimina passu
Curreret, aut humeris etiam maiora subiret; 40
Qualis formosum coluit dea Cypris Adonim,
Et Phrygium qualis puerum Berecynthia mater.
Lædere non te igitur rictus potuere leonum
Fulminei non, Daphni, suis, non, dente rapaces
Hinc licet inde lupi, fremerent. Mihi pergite, divæ, 45
Dicere, ceu primis elementa peregerit annis
Cætera, bis denos vix idem impleverat orbes,
Cum procul horrenda feram sub rupe leænam
Opprimere est ausus, catulosque aufferre peremptæ,
Et de multiplici præda meruisse triumphum: 50
Fortior hoc nitida lusit quoque nemo palæstra,
Fortius aut lapidem Spartano more rotavit.
Ille suum nusquam, nusquam Pœmana reliquit,
Constantique fide coluit dominumque pecusque
Et pecoris fœtus; meruit quoque Daphnis ab illo 55
Sic non destitui; merito, iustissime Pœman,
Turba licet contra pastorum cætera clamet,
Erigis, o, Daphnim merito, iustissime Pœman!
Dignus enim forma probitate et dignus amari
Ille tuus Daphnis: novit quo flumine pastos 60
Expediat mersare greges, quo gramine pasci,
Quo tondere modo balantum vellera fas sit,
Ubera qua pressare manu, quo caseus usque
Exeat, et quanam vites incidere falce
Præstet; et incisas ulmis annectere novit, 65
Inserere et pomis silvestribus optime poma.
Miraque in hoc licet ante diem prudentia rerum

v. 42 berecinthia *V*; v. 44 fulmine *V*; v. 45 unde *V*; v. 50 foetam *M*; v. 49 aufere *M*; v. 52 rotavi *M*; v. 54 polluit *M*; v. 58 daphni *M*; v. 60 quoque *V*; v. 62 ballanti *V*; v. 65 anectere *M*; v. 67 pudentia *M*;

Emicat, et senior Daphnis iuvenilibus aunis
In se quemque virum sua lumina vertere cogit.
70 Daphni, tuum pergas postquam tibi ridet, amare
Daphni, tuum Pœmana, precor, ne desine cœptis
Observare modis. Quam lætos possidet agros
Quotque vides capit hic intra sua iugera milvos,
Quale pecus claudit, quantis hic dives abundet
75 Armentis pastor, si fata in summa vocarint
Sydera defunctum vita, cui tanta relinquet?
Cuique pedum potius moriens tam nobile tradet
Quam tibi? quemve greges potius te sponte sequuntur
Rectorem, ceu qui redeant ad sibila nota.
80 Te, certe, te, crede, manent hæc omnia, Daphni!
Adde leves calamos, quibus ille rigentia mollit
Saxa, quibus celsis e montibus attrahit ornos,
Et quibus haud Latiis quenquam sibi repperit arvis
Pastorem cantare parem. Cum cætera linquat,
85 Non feret hæc secum liquidum super æthera Pœman.
O mihi tum rapidæ producere sæcula vitæ,
Tum liceat totos Cumæi pulveris annos
Vivere, quo Daphnim melius, quo Daphnidos omnis
Longius evaleam numeris comprendere laudes,
90 Tunc mea Smyrnæo certabunt carmina plectro;
Tunc lyra quæ mediis nunc serpit stridula silvis,
Threicio audebit sese committere vati.
Iam satis, O Nymphæ, mea numina, diximus illi,
Quem colimus, dignumque satis pro tempore munus.
95 Cum deus hunc sterilem mihi fœcundaverit annum,
Tunc sinum lactis tribuemus et aurea mala,
Tunc dabimus pingues atque æquos matribus aguos,
Captaque venando variarum terga ferarum.
Iam tandem hac humili pariter cedamus ab umbra
100 Ne si pergamus raucus surrepserit algor!

v. 71 *V*-ben eredetileg v. 70 előtt állt; v. 76 peragas *V*; ridit *V*; v. 72 caput *V*, v. 73 habundet *M*; quanti *M*; v. 76 v. in t. *V*; v. 78 sequantur *M*; v. 91 m. non s. 92 Thracicio *V*; v. 93 *diximus illi* hiányzik *V*-ben; v. 94 *pro tempore munus* hiányzik *V*-ben; per temporem *M*; v. 100 után τέλος *M*-ben.

Ad Ioannem Episcopum Quinqueecclesiensem Georgii Trapezuntii introductionem librorum magni Basilii ad Amphilochium praefatio. [1])

Libros magni Basilii adversus Eunomium, quibus divinitas sanctissimæ trinitatis defenditur, a græca in latinam nobis linguam traductos, dignissime pater, Joannis Archiepiscopi Strigoniensis nomini dedicavimus. Eunomius enim Platonicos secutos negabat Filium et Spiritum Sanctum eiusdem esse cum Patre divinitatis... Sed magnus Basilius.. librum ad Amphilochium Iconii episcopum edidit. In quo triginta capitibus omnium Eunomianorum versutias, pestilentemque Christianis calliditatem patefecit, protulit, radicitusque evulsit... Hunc librum, prout parte aliqua in officio tibi respondeamus, dignationi tuæ offerimus. Nam cum ipse sciam, te religione, vita, prudentia cæteros nostra ætate præire episcopos, nec me lateat, omni te in litterarum genere, non latinarum modo, sed etiam græcarum eruditissimum, meque semper a te re ipsa diligi et meos amari sciam, non potui, nisi ingratus esse velim, meam erga te benevolentiam devotionemque scriptis non profiteri. Itaque ad religionem, virtutem, litteras meritaque tua illud accessit, quod video te dies noctesque solicitari vehementius pro interitione infidelium, in quorum ore et faucibus data tibi ab inclyto Matthia Pannonum rege provincia est, quam tua prudentia et cura ab infidelium excursionibus tuerere, eam non laudis cupidus complexus, ut tui indulgeas, sed fide solum et Christi amore ardens maximo animo et summo vitæ discrimine arripuisti, remque difficillimam eandemque periculosissimam tuo

[1]) Cod. Vindob. lat. 4857, chart. saec. XV. fol. 88 *a* sqq. A dedicatio egész terjedelmében közölve van Denisnél i. h. I II, p. 463—465.

ductu et auspicio non ab infestationibus inimicorum modo, sed ab omni procul periculi ac perturbationis timore exemisti, conservasque. Sed de laudibus tuis, quas mente iam complexi sumus, si a tanta alendæ familiæ cura otiosi erimus, feliciore stilo consequemur. Nunc illud præcipue nobis dicendum est, quod sicuti Archiepiscopo Strigoniensi Basilium Archiepiscopum imitanti opus dicavimus, ita tibi eundem pari studio prosequenti, omniaque tribuenti alterum Basilii librum, quo Spiritum Sanctum eiusdem esse glorificationis cum Patre et Filio contra Eunomianos demonstravit, inscripsimus, ut nostra etiam opera communi hominum utilitati tuis in nos singularibus promeritis consulatur.

Marsilius Ficinus Florentinus Ioanni Pannonio Episcopo Quinque Ecclesiensi εὖ πράττειν. [1])

Commentarium in Platonis Convivium de Amore nuper a nobis editum tibi potissimum, vir clarissime, dicare constitui, qui et Platonicus es apprime, et nobis singulari quodam amore coniunctus; sic enim Platonica ad Platonicum, amatoria ad amantissimum retulerimus. Dabit præterea scriptis nostris fidem auctoritas tua non mediocrem, ut si quid apud Pannonios habuerint fidei, Ioanni non minus, quam Marsilio debeant. Ita qui primus ad Histrum redegit Musas, eodem primus rediget et Platonem. Quod quidem fore facillime spero, si modo mea hæc amatoria tibi æque, aut saltem non multo minus placeant, ac tuæ nobis elegiæ probantur. Hæ quidem nos summopere delectarunt, utinam nostra tuas aures non offendant! Sed quid ego diffidam ineptus? Amor in me tuus mea commendabit tibi, et auctoritas tua Pannoniis ipsa laudabit. Amorem vero in te meum, quando id mea non potest epistola, Petrus Garasda, vir doctus et utriusque nostrum

[1]) Cod. Vindob. lat. nr. 2472 fol. 1-*a*-*b*., a Marsilius Ficinus által Janus Pannoniusnak felajánltatott eredeti példány. A mű czíme: «Commentarium Marsilii Ficini Florentini in Platonis convivium de amore.»

familiaris, cum apud te fuerit, declarabit. Vale. Nonis Augusti MCCCCLXVIIII Florentiæ.

Baptista Guarinus Affini suo Carissimo Ioanni Bertucio Sal. pl. d. [1])

Nuper cum apud te cœnaremus ac variis de rebus (ut fit) colloqueremur, ætatis nostræ poetarum orta mentione cum ego Ianum Pannonium inter præstantissimos annumerarem, Petrus Campanus homo rudis magis quam impurus insolenter tamen, ut videbatur, barbarum sibi incognitum esse dixit, qua appellatione commotus cum paulo asperius respondissem, non esse barbarum in quo Musæ sibi domicilium collocassent, sed ad quem doctissimi ac eruditissimi viri fama non pervenisset, postulasti, ut de Iani ipsius ingenio ac doctrina aliquid tibi explicarem, quoniam nemini magis quam mihi notus ille esse deberet, cum quo diutius familiarissime eisdem in studiis, eisdem in tectis, eadem in cella, eodem sub præceptore dies noctesque vixissem, quod quidem ego libentissime facturum me recepi, tum ut tibi honesta cupienti obsequerer, tum ut hominis, cui me plurimum debere sentio, laudes egregias quantum in me esset et tibi et reliquis notas facerem. Nactus igitur aliquantulum otii ab assiduis variisque lectionibus hanc tibi epistolam de admirandis illius viri dotibus quam brevissime fieri possit scribere constitui, ut si unquam alias in huius generis disputationem incideris, causam hanc audacter tuearis. Ut autem planum faciam, unde sermo noster ducatur, Græci præter se alias omnes gentes barbaras appellavere Latini vero præter se et Græcos, cuius vocabuli origo per ὀνοματοποιΐαν hoc est denominationem quandam ad vocis similitudinem effecta est, cum alienigenæ in sermone græco proferendo quasi per ignorantiam balbutientes duriter atque aspere affinem huiusmodi vocabuli sonum redde-

[1]) Ezen érdekes levelet, melyet először Fraknói V. használt föl (l. Vitéz János élete p. 153. 154.) az Apponyi-féle Janus Pannonius codexből közlöm. Apponyi Sándor gróf által készíttetett facsimiléje meg van a Magyar Nemzeti Muzeum könyvtárában.

rent. Barbaros post homines non tantum ex loci natalis a Græcia vel Italia distantis habitatione, aut ex linguæ vitiosa prolatione veteres nominaverunt, sed etiam si quis insolenter aut crudeliter aut minaciter nimium locutus esset qnasi ingenuorum morum et bonarum disciplinarum expers, hunc eadem appellatione dignum esse censuerunt. Quare cnm de Iano Pannonio Petrus ille ita loqneretur, ut magis ad doctrinam et virtutes videretur, qnam ad provintiam nomen id referre, non potui me continere, quin subito aliquantisper excandescerem. Ego enim sic sentio (nec me amor fallit) omnibus, quæ in homine dicuntur bona, ornatissimum aut neminem unquam fuisse, aut hunc existimandum esse, in quam sententiam tu qnoque, ut spero, cum hæc legeris, devenies. Oriundus fuit Ianus hic noster Varadinæ, quæ provintiæ Pannoniæ urbs est non ignobilis. Pannonia vero ad septentrionalem plagam ab Dalmatia finibus inter Noricum et Mysiam Enropæ extenditur irrigante eam Danubio, qui alio nomine qnibusdam in locis Hister vocitatur. Ab rege autem Pannone ex aliquorum sententia sortita est vocabulum. Nonnulli tamen ob hoc appellatam esse aiunt, quod interioribus tunicis ita prolixis ea gens utitur, ut circa manus a vestimentorum manicis procul dependeant fimbriæ, quas patrio sermone pannos olim nominabant. Sed quæcunque sit nominis causa, non magnopere [1]) laborandum est, cum ea res ad veram commendationem plerumque haud magnum momentum habere censeatur. Maiora sunt profecto, quæ ad extollendam illius provintiæ gentem commemorari possunt. Cuius ea peculiaris laus est, quod iam multos annos Christi fidem soli Pannonii tueantur, solique omnium Christianorum contra sævissimam Turcorum rabiem obices ut sunt, sic etiam habentur. Quorum impetum non modo aliquando sustinuerunt, sed parva manu sæpissime cum ingenti hostium ipsorum strage maximos exercitus fuderunt, quo fit, ut non immerito eos omnium hominum fortissimos robustissimosque Dion historiens appellarit. Cuius verbis eo magis credendum esse arbitror, quod ipse gentibus illis aliquando pro imperio Romano præfuit. Illud quoque ad gloriam provintiæ non mediocrem accedit, quod omnes doctrinæ ac virtutum sectatores ita diligunt, ut nemo illuc doctus eat, qnin magnis muneribus ac præmiis inde

[1]) *magopere* a codex.

onustus [1]) revertatur; ut taceam, quod pontificatus et imperia apud illos non nisi qui bonarum artium studiis operam indulserint, assequuntur; ita ut iam præter locum nihil habeant, quod barbarorum nuncupationem mereatur. Cum autem Ianus adhuc infans patrem virum clarissimum amisisset, eius educandi curam suscepit avunculus ipsius Ioannes, tunc Varadinensis Episcopus, nunc Strigoniensis Archiepiscopus, vir non modo summa religione summaque virtute ac liberalium artium scientia conspicuus, sed tanto consilio, sapientia, auctoritate præditus, ut cum Pannoniæ Rex pro Christi fide dimicans subito in terris non comparuisset, solus dignus sit habitus, qui usque ad successoris electionem totius regni tutor et administrator omnium consensu ac suffragiis constitueretur. Quod quidem munus ita prudenter egregieque gessit, ut nulla in parte labefactatum videri posset imperium, ac propterea ita semper viri illius amplitudo postea viguit, ut in hoc usque tempus pacis bellique, omnium denique consiliorum particeps ac sotius extiterit, et in dies magis ac magis ametur atque observetur. Occupato igitur multis gravibusque negotiis Ioanne ipso Ianus duodecimum iam ingressus annum eximiam indolem et mirabiles ingenii vires præ se ferebat. Cuius ne animus otio torpesceret, ad Guarinum parentem meum, qui tunc unicus habebatur et erat infundendorum ingenuorum morum liberaliumque doctrinarum receptaculum et iuventutis instituendæ præceptor optimus, e cuius ludo velut ex uberrimo fonte in diversas orbis partes doctissimi viri quasi scatentes rivuli prodibant, Ferrariam erudiendus missus est. Ubi, proh bone deus, quam brevi profecit, quanta divini ingenii experimenta dedit! Vixdum a Pannoniis credebatur prima doctrinæ fundamenta iecisse, et tamen, quod in ea ætate incredibile fere existimari possit, poeta iam apud Italos habebatur. Erat in studiis ita assiduus, ut noctu legere ingressum persæpe dies vigilantem opprimeret, et diei laborem nulla cibi potusque cura aut alia voluptas interpellaret. Quod ut pati posset, tum corporis firmitas roburque, tum sobrietas et in victu continentia singularis efficiebat. Nam quid eius memoriam tibi prædicem? Multos legi, nonnullos ipse cognovi, qui huius rei gloriam sibi vendicarent, sed tamen, qui cum hoc homine in eo laudis

[1]) *honustus* a codex.

genere comparaudus sit, arbitror esse neminem. Nihil ab eo de qualibet poetarum singulorum parte quærebatur, quin statim et ex prompta memoria quasi scripta omnia præ oculis haberet, nullo artificio adiutus, sed sola naturæ bonitate responderet. Illud sæpenumero periculum fecimus, ut versus complures a novo aliquo poeta editos et ab ipso nunquam lectos semel tantum percurreremus, quos ipse statim ne minima quidem in parte labante memoria referebat. In carminibus vero componendis, quod quidem excellentis memoriæ maximum argumentum videri potest, hoc ab eo persæpe fieri cognovi, ut versus prope mille, quos diebus non paucis fecisset, in solo memoriæ suæ thesauro reservatos uno postea [1]) die arrepto calamo quam celerrime simul omnes conscriberet. Non altiore profecto memoria fuisse existimo, quos tantopere admirata est antiquitas, aut Themistoclem, quem unum intra annum optime locutum persice et omnium civium nomina tenuisse constat; aut Theodectem, qui semel tantum auditos quamlibet multos versus protinus reddebat; aut Cineam illum Thessalum, qui a Pyrrho legatus Romam missus postridie quam urbem ingressus est senatores omnes nomine salutavit; aut Crassum illum, qui cum Asiæ præesset, quinque Græci sermonis idiomata ita edidicit, ut qua quisque lingua postulasset, eadem ipse ius redderet. Quid illud quam acuti, quam prompti ad versus faciendos ingenii argumentum? Iubebat a nobis proponi, de quo scribi vellemus, statimque sedentibus ac scribentibus nobis carmina ita continuato cursu dictabat, ut sæpius ille manuum nostrarum segnitiem, quam nos eius ingenii tarditatem accusaremus. Scio, hæc tibi mirabilia videri posse, sed tantum abest, ut mentiar, ut multa quoque quæ in quottidiano convictu experiebar, quoniam testes non adsunt, consulto prætereàm. Nolo enim ea commemorare, quæ si comprobari nequeant, in reliquis mihi fidem detrahant. Hunc ergo barbarum appellabimus, qui vel solus præstantia sua totam Pannoniam a barbariæ nuncupatione vindicare potest? Nonne potius barbarum, qui hunc barbarum appellat, iudicabimus? Nonne iustins optabimus, ut non solum cæteri barbari, sed Itali quoque ita barbari sint? Quid litteras græcas quam avide arripuit, quas velut diuturnam sitim explere cupiens uno anno a primis eius

[1]) *pestea* a codex.

linguæ rudimentis ita prorsus hausit, ut græca volumina in Latinum converteret, et de Græcorum Latinorumque poetarum excellentia velut certissimus et æquissimus arbiter iudicaret. Quod cum se assecutum intelligeret, exercitationis gratia animum ad scribendum appulit, infinitaque paucis annis carmina edidit et figmentorum subtilitate et resonantia, et verborum elegantia, et sententiarum copia varietateque, et figurarum ornatu referta. Quæ si tibi enumerare velim, de solo eorum indice epistolam grandem conficiam. Illud unum reticere non possum. Scripsit de Illustrissimi Leonelli principis nostri nuptiis libros duos. Tertium cum princeps ipse obiisset, adiicere neglexit. Sed dum volumen id scriberet, Ioannes Arculanus Veronensis, nobilissimus medicus et ætatis nostræ alter Aesculapius, qui a teneris annis poeticæ arti magnam impenderat operam, huius adolescentuli ingenio et illarum nuptiarum lectione ita delectabatur, ut quotiens visendis ægris defessus esset, laxandi animi gratia domum nostram sæpe ad Iani carmina ventitaret. Quæ cum vel legeret, vel audiret, quintum Aeneidos librum propter ludorum similitudinem et carminis imitationem vel legere se, vel audire prædicabat. Ianus igitur et totam iam Italiam et omnes Europæ partes, ubi bonarum artium cura habebatur, celebritate sui nominis impleverat; Iam Pannonia hoc tanto tamque mirando ingenio lætabatur et exultabat, cum ipse non contentus sola poetarum et rhetorum cognitione ad mathematicas disciplinas et physicæ partes ac omnium virtutum parentem moralem Philosophiam traduxit animum. In qua cum satis doctus esset, Archiepiscopi Strigonensis imperio ad ius pontificium Paduam sese contulit, utpote quod futuro pontifici vehementer posset conducere. Sed easdem ingenii vires in eo percipiendo præ se tulit, quadriennio namque iuris consulti adeptus est insignia, quod universo iuris consultorum Patavinorum collegio, cum eum disputantem audissent, stupendum et incredibile prorsus visum est, vixque sibi ipsis quæ viderant et audierant credere animum inducebant. Nec tamen quod in plerisque cernimus, tot ac tantarum rerum scientia elatus erat, sed quanto cæteris et ingenio et doctrina præstabat, tanto se mansuetiorem, iocundiorum, amabilioremque præstabat; quo effectum est, ut omnes, qui de ingeniis aliquid iudicare poterant, eius amicitia et familiaritate gauderent; ab omnibus autem, quibuscum vivebat, propter singularem modestiam et iocun-

dissimam consuetudinem diligeretur. Accidit interea quasi fortuna tantis laboribus præmia præparante, ut Quinquecclesiis, quæ permagna et vetus Pannoniæ urbs est, Episcopus moreretur, quem honorem cum plerique seniores viri et nobilitate et virtute præditi ambirent, circumspectissimus et æquissimus Pannoniæ rex Matthias, ne tantas vigilias, tantos studiorum labores irremuneratos diutius esse sineret, non adolescentis huius ætatem, sed virtutem et prudentiam, quæ ante pilos venerat, expendens, eum Quinquecclesiensem declaravit Episcopum. Quod cum Pontifex Maximus propter ætatem, ut ante dixi, iuvenilem — nondum enim sextum et vicesimum annum Ianus ipse natus erat — confirmare recusaret, ne scilicet tantum pondus homini adolescenti committere videretur, Rex ipse tamen, qui iuvenem illum multis senibus excellentiorem et ad episcopatus administrationem magis idoneum noverat, in sententia permansit, nec ante destitit, quam Pontifici ipsi Maximo notam penitus hominis virtutem ita fecit, ut eum Romæ Episcopum pronuntiari impetraverit. Nec tamen veritus est sapientissimus Pontifex eam sacerdotii amplitudinem in eum conferre, cum iam non sponte tradere, sed potentissimi ac prudentissimi regis, immo et optimi cuiusque iudicio iam antea traditam approbare videretur. Quod quidem amplius et magnificentius esse intelliges, si tecum animo revolveris, non dicam, quam arduum sit ac difficile fortissimi ac gloriosissimi regis iudicium in iuvenili ætate promereri, sed quantum sit episcopalis dignitatis fastigium, quo nihil in terris præclarius, nihil admirabilius invenitur. Pulchrum est sane, quod Curius Samnitibus respondisse fertur, Romanos aurum nolle, sed habentibus aurum imperare, sed hoc pulchrius mea sententia censeri debet, concilia cœtusque hominum ad iure vivendum sotiatos, quæ civitates appellantur, quibus nihil est (ut ait Orator) illi principi deo, qui omnem mundum regit, acceptius, sic regere, ut in ipsius dei veri cognitione ac religione persistant: hoc, inquam, excellentius iudicaverim, sic legibus et sui ipsius exemplo instituere, ut in his terrenis, et ut Poëta ait, moribundis membris cælestem vitam agant, atque cum mortis tempus, qua nihil certius, advenerit, ad felicissimas sedes evolent, ubi inter beatorum angelorum choros sempiterno fruantur ævo. — Sed quid ego de pontificatus honore nunc disputo, quasi non omnibus rebus, quæ apud homines sunt, hac una ratione præstantior superiorque haberi debeat, quod a

salvatore nostro is primum Petro fuit attributus, ut esset, qui eius vices in terris gereret, et ad quem tanquam ad deum ipsum præsentem confugeremus, cui etiam ab eodem omnipotenti deo concessum illud esse ita nos credimus, ut aperte christiana decantat ecclesia, ut quicquid in terris ligaret aut solveret, idem in cælis quoque ligatum esset aut solutum. Hoc a te præterea maximi fieri velim, quod qui episcopatus Quinqueecclesiensis honorem assequitur, idem in eosdem homines principis et nomen et imperium obtinet. Quamvis enim maturitate consilioque opus sit ad regendos imperio populos, non dubitavit tamen rex ille huic ætate quidem iuveni, prudentia vero et multarum rerum cognitione iam seni rei publicæ gubernacula credere. Nam si prudentes illos esse arbitramur, qui longo ætatis usu rebus novis ex præteritarum memoria consulere possunt, cur non eum quoque prudentem rex ille sapientissimus existimaret, qui ex multa variaque historiarum lectione mores multorum hominum et urbes viderat, et anteacti temporis exempla ad futuri consultationem aptare et accomodare poterat. Nam, ut ait Quintilianus, hæc studia præstant, ut quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis sæculis vixisse videamur. Numam Pompilium, inclyta iustitiæ ac doctrinæ fama virum, cum de Romuli successore deligendo ambigeretur, posthabitis compluribus, qui offerebantur, ex Curibus Sabinis ad imperii Romani gubernationem accersitum fuisse legimus, ut esset, qui legibus urbem fundaret et efferatos sub bellicoso Romulo animos ad religionem pacemque converteret. Simili pietatis, religionis, ac liberalium studiorum scientiæ fama Ianum hunc ad pontificalem honorem suscipiendum delectum fuisse constat, cum iam non apud regem tantum, sed per universam Pannoniam constans esset opinio, hunc unum esse et multiplici doctrina instructissimum, et vitæ modestia integritateque probatissimum. Hæc enim præcipua in eo semper laus fuit, ut nullis venerearum libidinum aliarumve corporis voluptatum illecebris, immo ne pravis quidem illarum cogitationibus quisquam superatum eum fuisse intellexerit aut acceperit. Quo minus mirari debemus hæc virtutum præmia illum maximi et optimi dei nutu consecutum fuisse, qui se in omni vita castissimum præstitit, cum a nescio quo Rhadamantho vel Aeaco poeta quoque summæ felicitatis muneribus affectos illos esse testetur, qui sacerdotes casti fuerant, dum vita manebat; nam et verissima nostræ religionis

scripta eos agnum sequi affirmant, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Post hanc igitur delectionem regis et summi pontificis confirmationem cum ex Italia se ad pontificatum suscipiendum Quinquecclesias reciperet et iam appropinquare nuntiaretur, non modo ex urbis illius portis innumerabilis turba effusa est, sed et ex tota Pannonia confluxere omnes quasi ad cælestis cuiusdam imaginis spectaculum; neque enim non divinum hominem esse sibi persuadebant, quem tam paucis annis in tam iuvenili ætate audivissent tanta virtutum ac disciplinarum suorum experimenta edidisse. In urbe vero ipsa et fenestræ et tecta omnia mulieribus [1]), senibus omnibusque qui obviam ad excipiendum pontificem egredi urbe nequiverant, referta cernebantur; immo, ut ab iis qui præsentes affuerant, accepi, ne illa quidem loca vacua erant, quæ non nisi suspensum et instabile vestigium præberent; oppletæ undique viæ angusto tantum prætereuntibus relicto tramite; ubique gaudium, ubique strepentium et exultantium puerorum voces audiebantur, pro eius salute omnis ætatis, omnis sexus, omnis generis homines vota precesque concipiebant, cum se intelligerent sibi, se ac liberis suis precari quæ pro illo precarentur. Ipse vero ubi honorem illum assumpsit, difficillimum sibi onus incumbere existimans, ut quam sui expectationem concitaverat, hanc sustinere ac tueri posset, statim ad salutem populi sibi crediti constituendam animum convertit, ut brevi tempore cognoverint omnes nihil se opinione sua fraudatos fuisse. Subito enim afflicti humanitatem misericordiamque, egeni opem, pupilli viduæque patrocinium, docti et studiorum avidi præsidium, omnes denique boni et virtutibus præditi benignitatem eius liberalitatemque senserunt; non fores clausit hospitibus, non aurem precantibus, neminem ignominia aut damno affecit, neminem oppressit, nemini invidus, in [2]) omnes benivolus, mitis, beneficus, mansuetus extitit. Si quid a tantis occupationibus otii supererat, quod nunc quoque ab eo fieri audeo, id totum in sacræ theologiæ studiis consumebat, cum intelligeret id primum religionis munus esse, ut deum cognoscat, nam ut ait Hermes *εὐσέβεια γνῶσις ἐστὶ τοῦ θεοῦ*. Apud regem vero hominis huius existimatio sic in dies magis magisque adaucta est, ut consiliorum et omnium secretorum participem et sotium sibi asciverit, et cum pro

[1]) *muliebriebus* a codex. [2]) *ut* a codex.

bello gerendo adversus communem Christiani nominis hostem Turcorum regem oratores ad Pontificem Maximum Romam mittendi essent, in eum omnium mentes oculique inprimisque ipsius regis voluntas et optio inclinaverit. Quam quidem legationem ita egregie et modestia et facundia sua obivit, ut quicquid petierit (multa autem petebat) a Romano Pontifice venerabilique Cardinalium collegio impetraverit. Habuit enim orationem gravem et copiosam; et quæ sermonis maxima est virtus, apertam, ita ut dubium reliquerit iudicium, ornatiorne in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Quam multa vero pro Christi fide in bello fortiter prudenterque gesserit, impresentiarum, ut habeatur epistolæ modus, omitto. Illud unum adiiciam, eum qui tanta præclari ingenii argumenta ediderit, qui tantas virtutes adeptus fuerit, qui ad tantum honoris culmen ascenderit, hoc tempore nondum quartum et tricesimum annum excessisse. Quocirca mirari desine, si in Petrum illum excandueram, qui hunc hominem, ut dicere audeo, divinum, barbari appellatione contaminaret. Vides enim non modo quod dicebam poetam, sed et philosophum et iurisconsultum et theologum non contemnendum esse, neque putes velim eius laudes me supra quam veritas patitur amanter extulisse. Neque enim est mentiri meum, neque sum nescius, cum in plurimis Italiæ locis illustribus in clarissimorum virorum conspectu vixerit, si quid mentirer, eum a me non laudatum, sed derisui habitum fuisse, qui ipsum nossent, iudicaturos.

Tu vero, cum in illius mentionem incideris, si qua mihi apud te fides est, credito a te illum nominari, qui sit in arte poetica consummatus, in multarum disciplinarum scientia conspicuus, in vitæ castitate singularis. Cui si omnipotens deus longam in terris vitam dederit, ut ab omnibus optandum est, erit profecto, qui cum antiquitate in omnium virtutum ac doctrinarum genere decertare et summis illis viris, quos tantopere veteres illi sunt admirati, si non anteponi, saltem conferri æquarique possit. Vale. Ferrariæ, Nonis Aprilibus. Anno Christi M° CCCC° LXVII.

Baptista Guarinus Reverendo D. Jano Pannonio Episcopo Quinquecclesiensi Sal. [1])

Matthiæ nostri reditus, quem de medio studiorum cursu retractum fuisse vehementer dolebam, gratus mihi ac periocundus ea quidem de causa fuit, quod antexpectatum hominis mihi amicissimi consuetudine perfui licuit. Sed multo certe gratior quod Panegyricum in parentis nostri laudem versibus a te conscriptum et iam pridem a nobis exoptatum secum attulit. Amavi enim pariter et magnopere probavi animi tui erga præceptorem eximiam gratitudinem, qui ingenii tui ac doctrinæ primitias eius laudibus dedicare voluisti, multoque præstantius id muneris genus esse iudicavi, quam quod aut Nero princeps in Senecam ante eius necem

[1]) Ezen levelet is az Apponyi-féle Ianus Pannonius kéziratból közlöm, melyet a Ianus Pannonius kéziratokról szóló czikkem megirása óta Apponyi Sándor gróf kegyes közbenjárására Apponyi Lajos gróf ő méltósága lekötelező szivességgel tüzetes átvizsgálás czéljából rendelkezésemre bocsátott. A kérdéses kézirat nyolczadrétü, szorgalmasan vonalozott hártyára, csinosan, a XV. század vége felé van irva; 77 írott és két üres, számozatlan levélből áll, a quaterniók száma nyolcz; az első lap díszes kerettel van körülvéve, melynek alján a czímer helye kitöltetlen maradt; az egyes költemények feliratai vörössel, kezdőbetűik vörössel és kékkel vannak írva. A kézirat tartalma: fol. 1*a*: «Panegyricus Jani Pannonii Episcopi Quinquecclesiensis de vita et laudibus Guarini Verononsis praeceptoris sui. Prologus». Minthogy szövege nagyrészt a Velenczei codex szövegével egyezik meg, megnéztem, hogy a velenczei codexnek a Teleki-féle szövegtől való mely eltérései vannak meg az Apponyi-féle kéziratban is? A következők: v. 2 chelym; 10 aspiceres; 13 damna; 30 excipis; 6 luis nos enim lyra; 19 aspirasse; 25 apta; 39 sollerti; 40 gracilis; 46 litterulas; 76 facunda; 78 aequaevis; 88 *iuvenis nimium* a javítás előtt; 97—99 helyett:

Assyrios : nostro sic vir cognomine clarus
Caucasiis nudos adiit sub rupibus Indos.

119 salvum Guarine; 121 caelum: 123 adriacos; 128 littora; 138 Phrixus; 167 declamatum totiens; 175 Elleboro; purgata; 176 *melius*-ból *medius*; 206 latuit detousus; 247 quod nodum vile; 249 permutare; 252 celebrarat; 257 cec. rec.; 272 paulisper; 273 a javítás előtt (corr. m. 2.) *contingit*; 325 littus; 330 mellíflua flumina; 333 erichthone; 348 mentis; 355 accelerant Phoebi: 402 frenantis; 432 legitimis; 452 cornigera iungens cum matre iuvencum; 454 portas; 457 exuto; 458 artis; 459. 460 sic: coluerunt nomine tales Antiqui per quos vaga; 468 d. nivento; 476 musas modo qui damnare; 492 quantum

contulit, aut Plinius Quintiliano locandæ filiæ gratia misit. Ea siquidem momentanea, caduca, brevi duratura tempore fuerunt. Tuum vero tale est, ut cum ab omnibus ætatis nostræ doctis viris omni ex parte commendetur, eius famam omnes quoque excepturi sint anni consequentes. Delectatus sum mirifice prologi illius concinnitate, poematis vero tum ordinem, tum verborum elegantiam, tum versuum resonantiam amplexatus, rerum autem varietatem, doctrinæ magnitudinem, sententiarum gravitatem copiamque ita admiratus fui, ut sæpius relegendum volumen in manus sumpserim, nec tamen unquam relegerim, quin novum aliquid laudandum stupendumque deprehenderim. Quid de facilitate loquar et ea quam Græci ἐνάργιαν (!) appellant? quæ cum maxima sit et orationis et poematis virtus, a me tamen solet in plerisque sæculi nostri scriptis

516 annalis; 522 littera; 537 sollertior; 541 sumpserit; 608 pinguis; 611 sed magis hac ipsa perfusus Strozzius unda (a *Strozzius* szóban a két *z* javításban van); 642 és 643 hiányzik; 644 facius; dignus acerbis; 645 Iam Petrus podagris et vivere dignior illo Lamola, Mygdonios si Clotho indulgeat annos; 646 quaeras; 661 assimilans; 679 tumulis; 690 caucrive; 693 paulatim; 702 vel moribus; 717 és 718 közt Euganei et colles et nubifer Apenninus; 757 illic; 766 linguae; 769 mentis; 776 tristis; 781 proteuus; 792 Arretini; 795 Philelphus; 799 milibus; 801 contemptor; 830 prompti; 837 culta adeo; 843 mentis; 848 holoris; 856 sumptu; 859 nummos; 862 carpunt; 877 caena; 896 stabit dum; 903 grais; 904 sollertia; 906 artis; 909 maior tua gloria; 917 quo; 928 actinem; 969 littore; 973 sacratave; 977 phrixea; 992 exangues; 996 paulisper; 1029 natae; 1035 concordent; 1062 Ilithya; 1071 *sine*-ből *sur*; amnis; végén τέλος. Most fol. 28*b* «Conquestio de aegrotationibus suis» (Telekinél I p. 320—322); fol. 30*a* «Ad Somnum» (Tel. I p. 322—329); fol. 32*b* «Ad animam suam» (Tel. I 329—331); fol. 33*b* «Threnos in Raccinum[!] cubicularium» (Tel. I p. 346—357); fol. 38*b* »De apro et cervo» (Tel. p. 284—286); fol. 40*a* «Threnos de morte Barbarae matris» (Tel. p. 286—296); fol. 44*a* «Epitaphium» Janus Pannonius anyjára Barbarára; Teleki p. 641 csak régi kiadásokból közölhette; fol. 44*b* »Invehitur in Lunam quod interlunio matrem amiserit» (Tel. p. 296—303); fol. 48*a* «Matthias Rex Antonio Constantino poetae Italo» (Tel. p. 304—312); fol. 52*a* »Naiadum Italicarum principi divae Feroniae Janus Pannonius Episcopus Quinqueecclesiensis cecinit in reditu ex urbe Nonis Julii 1458» (Tel. p. 273—276); fol. 53*b* «Laus Andreae Mantegnae pictoris patavini» (Tel. p. 276—278); fol. 54*b* «Blasio militanti Ianus febricitans» (Tel. p. 279—281); fol. 55*b* «De stella aestivo meridie visa in Iulio mense» (Tel. p. 281—283: «De stella aestivo meridie visa A. MCCCCLXII»); fol. 56*b* «De se aegrotante in castris» (Tel. p. 313—319); fol. 59*b* «In clarissimam matronam D. Andreolam Nicolai Quinti Papae matrem. Que fecit Ian.

magnopere desiderari; tua vero ita dilucida, ita tersa, ita latina sunt, ut ad incorruptam antiquitatem proxime accedant. Nec hoc meum tantum iudicium est, sed et omnium quorum in poemate examinando auctoritas alicuius ponderis æstimari possit. Quo fit, ut cum in parentem nostrum non parum laudis collatum esse antea iudicarem, quod nobilissima hæc Ferrariensis civitas marmoreum ei sepulcrum tamquam acceptorum ab eo beneficiorum testimonium in Beati Pauli templum faciendum locasset, multo certe nunc maiorem ei gloriam tuo hoc opere, quod nec ulla ætas abolere poterit, et in omnes orbis terrarum partes facile disseminabitur, accessisse putem. Itaque eo nomine me ac optimos fratres meos ita tibi obnoxios esse ac fore promitto, ut nulla in re, quantacunque sit, nostram operam frustra sis requisiturus. Ego vero quod meum nomen in poemate ipso non reticendum esse duxeris, gaudeo et

carmina pene puer» Teleki p. 360—364 csak régi kiadások után közli, miért is érdemesnek tartom közzé tenni a kéziratnak a Teleki-féle szövegtől való eltéréseit: v. 1 ducere vitam; 9 indevitabile fatum; 22 praeside; 24 quo sacri est Felsina lata chori, de a *sacri est Felsina lata* szavak rasurában vannak; 28 rubris; 52 thura; 59 thuriceremis; 68 oc. complet et. — fol. 61*b* «Epitaphium eiusdem»; Teleki p. 642 csak régi kiadások nyomán közölte. Eltérések: v. 2 altera ius Romae pontificale tenet. De a *ius* szó a sor fölött van, és a *pontificale tenet* szavak rasurában vannak, miért is a kiadások olvasása (Altera Romanae praesidet ecclesiae) hitelesebbnek tünik ki. 3 sepulchro; 5 saecula. — Az epitaphium után «Τέλος. Baptista Guarinus Reverendo D. Jano Pannonio Episcopo Quinquecelesiensi Sal.» Ezen érdekes levelet e helyen közlöm elő-ször. Kitünik belöle, hogy Janus Pannonius csak 1469 táján készült el egészen Guarinus Veronensis dicsőítésére irt hősköltemónyével. Tudjuk ugyan, hogy Janus Pannonius még az 1460-ban elhunyt Guarinusnak magának megküldötte ezen költeményének első példányát (lásd Telekit II p. 212. 213) de valószinűnek kell tartanom, hogy ezen példány nem tartalmazta az egész panegyricust, és hogy ez azonkivül akkor még alig lehetett annyira kicsiszolva, mint a hogy most olvassuk. — Fol. 63*a* «Baptista Guarinus Affini suo carissimo Ioanni Bertucio Sal. plu. d.» E levél e füzetben van legelőször kiadva. Fol. 71*b* «Baptista Guarinus Leonello fratri salutem.» Ezen érdekes levelet, melyből Guarinus Veronensis halálára és temetésére vonatkozólag sok érdekeset találunk, kiadtam az Egyetemes Philologia Közlöny negyedik évfolyamában. Fol. 75*a*—77*a* van egy czím nélküli levél, mely egy «Illustrissimus Princeps»-hez, (Montefeltrói ?) Fedricus herczegnek fivéréhez van intézve és Ferrariae VII Kal. August. 1456 kelt. Minthogy a végén említve van, hogy «Catullum ubi meliorem fecero ad proprios lares remeare compellam», a levél kétségkivül Baptista Guarinus műve.

serio triumpho, cum tantum mihi tribueris, ut mei memoriam nulla obscuratura est oblivio. Nec minus ob eam laudem me tibi debere et sentio et profiteor, quam ob maxima et donante digna munera, quibus me cum sæpe alias, tum vero nuper in Matthiæ reditu locupletasti. Iam enim non stoicorum modo, sed et Peripateticorum bonis me tui æris esse declarasti. Quas quidem ob res tibi plurimum debeo, teque maximi facio; et si usu venerit, ut vel tibi, vel tuorum alicui referre gratiam possim, faciam, ut intelligas in hominem minime ingratum beneficium te contulisse. Ferrariæ Idibus Decembris 1469.

Georgius Augustinus Zagabriensis Magnifico ac generoso domino Nicolao Ostphi praeposito Strigoniensi dignissimo S. p. d. [1])

Salvum ac incolumen te esse cupio. Quam permolesta mihi discessio mea abs te fuerit, nostra consvetudinis diremptio, tuæ generositati lubens, si mentem verba sequerentur, exponerem. Verum etiam ne assentatoris officio fungi censerer, impræsentiarum tacendum potius quam ullum verbum proloquerer, existimaveram! Sed animo nequaquam quiescente, immo urgente, ut aliquid litterarum ad te perscriberem, impellor, uti paucis tecum his præsentibus colloquar. Maximo itaque desiderio immeusaque cupiditate, Vir Magnifice, superioribus diebus tuam humanitatem visere exoptaveram tum plurimarum rerum, tum vero tuæ benivolentiæ ac necessitudinis gratia mihi conciliandæ. Quod cum diutius mecum volverem, quo modo, qua via, quave ratione id exequi possem, tandem statueram, prius tuam antequam ad humanitatem accederem, litteris tecum agere, ne penitus istuc, quovis tempore, quavis ætate id contingeret, ignotus venirem. Scripseram itaque tuam ad amplitudinem una cum domino Helia Czepes etsi verbis pauxillis litteras, quæ animi et voluntatis meæ essent indices quibusque tuæ benivolentiæ et familiaritatis erga me initia præcucurrissent. Sed fortuna semper felicitati hominum iuvidente longe aliter quam

[1]) Cod. Monac. lat. nr. 5369. chart. saec. XV. fol. 56*b*—60*b*. Az itt közlött levélből rövid kivonatot közöltem az Egyetemes Philologiai Közlönyben IV. p. 38. 39.

animo meo destinaveram, effectum est. Quippe nec meæ, nec Heliæ, uti istic accepimus, litteræ tibi redditæ fuerant, meque pæne ignotum, qui absens tuæ humanitati notus esse cupieram, reddidit. Nihilominus tamen ut uterque nostrum istuc advenit, tanta te humanitate præditum conspeximus, ut mox nobis visis te hilarem, vultuque iocundo erga nos præbueris, nosque tuum in contubernium, ac si sexcentis annis antehac convixissemus, gaudens accepisti, iusque hospicii more priscorum colere videbare. Illi etenim maximum aliquid consequi se putabant, si aliquos iure hospitalitatis sibi coniunxissent; tantæque venerationis id nomen ipsis erat, ut nil fœdius, nil turpius, nil denique tetrius admitti posse crederent, quam hospitem violare, seu quavis affici molestia. Cuius rei et ipse Maro, clarissimus omnium vates, non ignarus ipsum Iovem, summum deorum gentilium, etiam hospicio præfectum memorat. Inquit etenim: Iupiter hospitibus nam te dare iura loquuntur. Unde et sanctum et inviolatum maximæque religionis ac observantiæ nomen hospicii apud illos habebatur. Tua vero Benignitas nos non ut hospites, immo ut amicos et maxima necessitudine tibi coniunctos tractavisti, humanissime accepisti, totumque te nobis deditissimum ostendisti, ut nequaquam tuorum morum facilitas, summaque tuæ amplitudinis suavitas nostris animis imposterum excidere poterit. Quid enim loquar? quam suavem, quamve dulcem te agnoverimus in compellando? quam comem ac placidum in pertractando! quam vero benignum ac liberalem splendide accipiendo! Tua suavitas adeo nos tibi coniunxit, comitas adeo devinxit, benignitas adeo obligavit, ut vix alicui mortalium magis astringi, debereve cupierimus. Nos exinde tua humanitate ac mansuetis moribus perspectis familiarius forte quam convenisset tecum egimus. Verum etsi nonnullas in ea, quæ tua dignitate ac amplitudine minus digna essent, incidimus, freti tua benivolentia ac familiaritate, fortassis fines ac terminos nostri instituti transiebamus. Si vero quavis in re prorsus inepti fuerimus, nobis persuademus, tuus etenim ingenuus animus, tua mansuetudo, tua facilitas hoc nobis polliceri[1]) videtur. Cumque tot dies permanserimus, unius tamen instar diei istic moram habuisse nobis creditum est. Sed quid te teneo verbis? Omnia nobis iocunda, omnia suavia, omnia quæ nos oblectabant, dies, quo a te abiimus, præcidit, ademit ac abstulit. Eius etenim

[1]) *pellicere* a codex.

consvetudinis usu, qua cottidio fruebamur, quamque in noctem, quam maxime potis fuerat, potrahere conabamur, abstracti, ægritudo animi non minima nobis intercessit. Nanque, uti te non fugit, nocte sæpe et sæpenumero in sermonibus conferendis producta vix seperabamur. Ita vero in animum induco meum, nisi et somno suas partes tribuere oportuisset, ut hinc promptiores aptioresque ad studia reliquasque disciplinas capessendas ac cætera officia exequenda essemus, vesperam matutino crepusculo fando varia iunxissemus, nosque dies noctis principio sermonem ingressos prius oppressisset, quam seperaremur. Discedentes itaque tua ab humanitate, Vir Amplissime, tuaque nos consvetudine privari videntes, tametsi hoc nostra studia quibus incumbimus, meaque præcipue exigere videbantur, quam ægre tulerimus, quamve magno dolore affecti fuerimus, tu velim ipse iudices. Corpore quidem Ferrariam versus tendebamus, animo semper Bononiæ persistenti, navigando digrediebamur. Voluntatibus connectebamur adeo, ut quamquam ipso die satis procul a Bononia navigassemus, tu tamen nos et nocte consequi visus est. Quippe cum [1]) ea nocte in diversorio quodam constituti quieti — siquidem illa quies appellanda fuerit — corpora nostra dedissemus, noxque plurima sui parte lapsa fuisset, quin potius iam aurora aderat, tota ferme cum nocte antea vigilassemus, somnumque oculi non vidissent, tandem lumina defessa sopor ad diem vehementius oppressit, moxque [2]) insomnium huius generis præ oculis se obtulit, ut ipsa in visione ambigerem, anne Bononiæ adhuc persisterem, qui tamen pridie ea excesseram, an foris Bononiam pernoctarem. Tua namque benignitas mihi adesse visa est, orans atque obsecrans deum sanctosque eius angelos, ut si abs te digrederemur, navis, qua eramus navigaturi, aliquid pateretur incommodi. Nobis vero tuis minime precibus acquiescere volentibus tuaque orata irrita linquentes navim conscendere visi sumus. Ecce antem nobis navigantibus subito tua optata rata fuere. Equidem magna vis aquæ quibusdam rimis visa est in navigium irrumpere, adeoque omnes magno timore perculsi trepidaremus, moxque ego experrectus totus sudore quasi aqua perfunderer, dubitans, hæsitans, incertus existens, ubinam locorum sim. Hæc quidem visio insomnii. Verum aures adhibe parumper, quæso, ut

[1]) *cum* kétszer van meg a codexben, az egyik lap végén és a másik elején. [2]) *moxque in* a codex.

